Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacerdos0000padu_b5o3

BÉZIERS
6, Rue du Bon Pasteur
C 36

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS.



SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS

AUCTORE

P. ADULPHO PETIT, S. J.

TOTIUS OPERIS
EDITIO QUINTA ELIMATA.

244.731
LIBRARY
P445

SERIES TERTIA.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — 1908.

45211

Ego Josephus De Vos, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio Wernz, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, constans quinque voluminibus, a P. Adulpho Petit, S. J., conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, post plures jam factas editiones iterum ex integro typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 16 Novembris 1906.

Locus sigilli. Josephus De Vos, S. J.

Imprimatur.

Brugis, 10 Januarii 1907.

H. Lahousse, *can. libr. cens*

PRÆFATIO.

NON sine singulari Dei favore factum est ut opus cui titulus Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis *exiguo temporis spatio ad sex millia exemplarium excudi debuerit, et jam ubique fere terrarum notum sit atque benigne acceptum. Licuit sane mihi in hac tam celeri libelli propagatione agnoscere haud obscurum divinæ voluntatis indicium. Quapropter fas esse non puto in via tam feliciter incepta consistere, et opus non incerto successu comprobatum abrumpere. Prodeat igitur in lucem* series tertia *piarum exercitationum menstruæ recollectionis, et, quæ mea spes est, non minus faustam quam duæ priores sortem consequatur.*

Juvabit in hoc volumine pro materia recollectionum assumere plerumque 1° aliquod mysterium *vitæ Salvatoris nostri, cum sacerdos, ut* alter Christus *dici queat, eum imitari teneatur ; 2° aliquam* virtutem, *atque illam in primis quæ, veluti fructus e radice, sponte enascatur e contemplatione mysterii ; 3°* defectum *virtuti propositæ contrarium, ita ut*

(quod solet omnibus summopere placere) in eadem recollectione quasi una res in triplici exercitio tractetur, scilicet mysterium *in contemplatione,* virtus *in consideratione,* defectus *in examine.*

Faxit Deus ut hæc nova series recollectionum, perinde ac præcedentes, dilectos Fratres meos sacerdotes adjuvare, stimulare, et multiplici consolatione adimplere valeat!

1892.

RECOLLECTIO I.

MEDITATIO.

De exitu vitæ.

EXITUM vitæ vocamus ultimum nostræ commorationis in terra momentum. Nullus est qui non intelligat quanti faciendum sit istud momentum a quo pendet nostra æternitas. Utile igitur erit sacerdoti hoc momentum attente considerare, ut ad id se mature præparet.

1. Præl. Nobis repræsentemus sacerdotem pium, inter suavissima Nomina Jesu, Mariæ, Josephi valedicentem terræ, jamjam ingressurum domum suæ æternitatis.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam recordandi serio et frequenter exitus nostri ex hac vita, et rite nos ad eum disponendi.

I^um^ Punctum. — Ipse exitus.

Exitus vitæ locum habebit pro omnibus hominibus. E terra migrabis, o sacerdos, quæcumque sit tua sollicitudo de conservanda valetudine: « Statutum est *omnibus* hominibus semel mori. »

Hic autem exitus *varius* est pro variis hominibus.

1° Quibusdam *improvisus* est et *subitaneus*. Atqui nullus est qui non debeat sibi talem exitum timere. Subitanea morte corruunt juvenes et senes, justi et impii, sacerdotes et laici. Statutum est *omnibus*; ergo estote parati. An hic et nunc ego paratus sum?

2° Nonnullis ille exitus est non quidem improvisus, sed *festinus*. Omnia peraguntur præcipitanter. Quam prudens igitur est, statim ac sentimus stimulum morbi, omnia disponere, quasi brevi essemus morituri.

3° Aliquibus exitus vitæ *prævisus* est et a longe *præparatus*. Quibus autem id contingit, exerceant se oportet in patientia et pietate, ut sic de lecto doloris agant apostolatum ædificationis.

4° Sunt quibus exitus vitæ *ignominiosus* est, illi nempe de quibus affirmat Angelicus doctor, quod vitio impuritatus enecti, *præmaturo* passu ad tumulum devenerunt. Quam miseri!

5° Aliis exitus vitæ *gloriosus* est. Talis sane exitus est illorum qui mo-

riuntur pro gloria Dei, pro salute animarum, pro fideli officii sibi demandati adimpletione. Quam gloriosus exitus Martyrum Christi! Quam gloriosus exitus P. Damiani, qui nuper heroicæ suæ mortis fama totum mundum implevit! O mi Jesu, utinam mihi daretur gloriosum habere exitum!

6° Multis exitus vitæ *plenus* est *tristitia;*

a) Vel quia recordantur se amisisse tempus vitæ *inutiliter;*

b) Vel quia nimis adhæserunt rebus hujus vitæ;

c) Vel quia plus æquo amaverunt mundi delectamenta.

An non ego sum de numero talium?

7° Multis sacerdotibus et religiosis viris exitus vitæ *deliciis plenus* est. Inter illos numerandi sunt:

a) Qui se aliquandò ex toto corde ad Deum converterunt et vitam sanctam ducere cœperunt.

b) Qui strenue laboraverunt pro gloria Dei et pro salute animarum.

c) Qui vixerunt in statu fervoris atque fidelitatis.

d) Qui abhorruerunt non solum a peccato lethali, sed etiam a peccato veniali.

e) Qui pro amore JESU carnem suam crucifixerunt, et exercuerunt se in operibus mortificationis et pœnitentiæ.

f) Qui generose et patienter sustinuerunt adversa, et nunquam se passi sunt devenire ad animi dejectionem.

g) Qui in decursu vitæ magno animo sacrificium aliquod Deo obtulerunt, v. g. injuriam acceptam ex corde condonaverunt ; accusati vel calumniis appetiti, ex amore Christi siluerunt, nec sese excusaverunt.

h) Qui pro gloria Dei et ex desiderio JESUM imitandi, omnia quæ habebant in sæculo, dereliquerunt ; hinc etiam per vitam lætitia et felicitas Religiosorum.

i) Qui singulari pietate prosecuti sunt B. M. V.

k) Qui ardenter dilexerunt J.-C., ejus passionem ejusque amantissimum Cor speciali devotione colendo.

l) Qui assueverunt considerare JESUM commorantem in Tabernaculo, ut

amicum et sancta erga Eum uti familiaritate. An mihi spes certa est ex tam multiplici fonte deliciarum me aliquam partem habiturum?

IIum PUNCTUM. — **Præparatio exitus vitæ.**

Æquum et rationabile est ut sedulo nos ad hunc exitum præparemus.

1° Caveamus ab *insidiis* mortis, ne nos invadat imparatos vel in malo statu constitutos. Proinde :

a) Nunquam adeamus *locum* in quo non nobis bonum esset mori, v. g. in domum ubi occasio est peccandi.

b) Nunquam faciamus aliquid in quo pro nulla re mundi vellemus mori, ut lectio mali libri, vel mala conversatio, vel visitatio mala, vel actio impura.

c) Ne conservemus in corde aliquem affectum, quem deposuisse optaremus antequam moriamur, ut esset aliquis rancor, aliquod odium, aliquis appetitus vindictæ.

d) Ne maneamus in statu peccati mortalis, cum a momento pendeat æternitas.

2° Cor avellamus ab omni re peri-

tura, ita ut maneat nobis libertas filiorum Dei semper.

3° Bona faciamus opera quam plurima, dicente divo Paulo : « Dum tempus habemus, operemur bonum. »

4° Nos constituamus apostolos salutis hominum, pietatis solidarumque devotionum.

CONSIDERATIO.

De caritate sacerdotali.

Quisquis statuit *serio* Christum sequi, induat oportet *spiritum* Regis sui. Spiritus autem JESU est ante omnia spiritus *caritatis.*

Considerabit pius sacerdos cum maxima utilitate: 1° Quam *necessaria* sibi sit caritas ; 2° *qualis* esse debeat ; 3° *erga quos* se debeat extendere.

I. *Necessitas caritatis.*

Hæc necessitas eruitur : 1° ex frequentissima commendatione Christi, facta ipsius discipulis. Quoties eis dixit : « Diligite invicem, sicut dilexi vos ! »

2° Ex frequentissima commendatione, facta a sanctis fundatoribus Ordinum religiosorum, quorum omnes constitutiones et regulæ spirare videntur hanc jucundissimam caritatem.

3° Ex *miseriis* quæ oriuntur ex caritatis defectu et ex innumeris *emolumentis* quæ ex ipsa caritate nascuntur. Nonne vita sacerdotis, humano modo loquendo, *felix* erit vel *infelix*, prout commercium quod est inter sacerdotes jucundum fuerit vel injucundum? Jam vero jucundum erit, si viget caritas; injucundum, si deest.

4° Ex *auxilio* multiplici inde proveniente in laboribus, et ex *impedimento*, si deficiat caritas.

5° Ex *conatu*, quem adhibet diabolus ad caritatem nostram omni modo labefactandam.

II. *Qualitates caritatis.*

1° Debet esse *solida*. Solida erit, si nititur motivis supernaturalibus, non mere humanis. Ergo solida erit mea caritas, si fratrem meum diligo:

a) Quia Christus dixit hunc erga fratrem amorem esse signum certissimum mei amoris erga ipsum Dominum;

b) Quia dixit JESUS sibi fieri quidquid fecero fratri meo;

c) Quia mutuus hic amor magis quam omnis alia res adjuvat nos ad gloriam afferendam Deo et proximo utilitatem;

d) Quia sacerdotes vere digni sunt amore: sunt enim *electi* Dei, *socii Jesu* ad opus omnium sublimissimum; et si suæ vocationi fideles se exhibeant, *victimæ* sunt generosissimæ,

dum semetipsos immolant pro amore Dei.

2° Debet esse *universalis*, excludens amicitias particulares, quæ nunquam non offendunt animos aliorum.

3° Debet esse *generosa*, ita ut propter caritatem libenter aliquid molestiæ sustineatur. « Caritas omnia suffert. »

4° *Delicata* esse debet, *exquisita*, *industriosa*, prævidens et procurans quidquid intelligitur fratri placiturum.

5° Debet esse *practica*, se probans omni, qui se offert, modo, scilicet *cogitatione*, *verbo* et *actu*.

a) Cogitatione. Actus caritatis erit *benevola* appretiatio, *benigna* interpretatio, *benefica* voluntas.

b) Verbo. Talia dicit, qui diligit, qualia de semetipso dici exoptat ; vitat proinde in iis quæ dicit et in modo dicendi, quidquid fratrem offendere, quidquid fratris animum pungere aut contristare posset.

c) Actu. Triplici autem ratione actu se prodit caritas, vel *abstinendo*, vel *sustinendo* vel *bonum præstando*.

Abstinet ab iis quæ caritati contraria sunt.

Sustinet defectus fratris et *incommoda* ex ejus consortio orta.

Bonum præstat fratri, vel *clam*, pro ipso orando et ejus auctoritatem apud alios tuendo, vel *palam*, ei dando generose consilium, auxilium, levamen.

III. *Objectum speciale* caritatis.

Speciali dilectione prosequitur sacerdos eos in sacerdotio fratres, quos sciverit tali speciali dilectione dignos.

Singulariter igitur diligit *senes*, utpote qui per longum temporis spatium laboraverint atque sudaverint pro gloria Dei et pro salute animarum, eo autem ætatis devenerint ubi omnia cor hominis soleant afficere vel tristitia vel jucunditate. Cavebit sedulo ab omni jocandi modo, propter quem facile existimabit senex, se fratribus esse despectui, vel ab eis propter defectus et miserias naturales irrideri. E contrario ipsi omne quod poterit dabit testimonium summæ venerationis et sinceræ dilectionis.

Singulariter diligit sacerdos *infirmitate laborantes*, quibus nihil jucundius esse potest quam intelligere se a fratribus minime negligi, eosque sibi patientibus condolere.

Singulariter diligit sacerdos eos fratres quos viderit *tristes* atque nimium *afflictos* vel *humiliatos*. Tales adibit, verbisque plenis caritate animum tristem mulcebit, et certe in corde suo sacerdotali inveniet ea quibus animus afflictus ad spem et fiduciam erigatur.

Singulariter diligit sacerdos *hospites* suos, sive amicos eos putaverit, sive adversarios, et eos tractabit ea benignitate, ea generositate qua tractaret ipsum Dominum JESUM, si eum contingeret hospitio excipere.

Singulariter profecto diligit pius sacerdos *suos superiores*, utpote sibi a Deo datos tamquam *patres*, *legatos* divinæ auctoritatis, *instrumenta* divinæ Providentiæ atque *interpretes* divinæ voluntatis. Suam dilectionem erga superiores probabit filialis venerationis exhibitione, existimationis atque fiduciæ; et si occasio est, libentissime ipsis præstabit adjutorium, ipsorumque apud alios, cum prudentia, defendet auctoritatem.

Tandem singulariter diligit sacerdos *suos subditos*, ut *filios* carissimos, suæ providentiæ a Deo commissos, quique, ipsius cura et labore ad salutem æternam provecti, patri suo et pastori gloria erunt et corona per totam æternitatem.

O felix nimium sacerdos qui sic dilexerit!

EXAMEN.

Circa benevolentiam sacerdotalem.

In hoc examine agitur tantum de benevolentia sacerdotis ad fratres suos, ejusdem vocationis consortes.

1° An sincere *afficior* benevolentia erga omnes fratres meos propter Deum, nullo excepto?

2° An experior me omnibus *velle bona*, vera quidem et æterna, temporalia etiam, sed quæ ducunt ad æterna?

3° An conor hæc bona illis procurare

quotiescumque id faciendi occasio est atque copia ?

4° An sedulo, si possum, ab eis avertere studeo omne damnum sive temporale, sive spirituale ?

5° An libenter et ex caritate cum eis instituo conversationem gratam et jucundam, ad ipsorum levamen atque consolationem ?

6° An maxime curo a mea sermocinatione repellere quidquid saperet vel contemptum, vel detractionem, vel mordacitatem, vel oblocutionem ?

7° An ex benevolentia abstineo ab omni imprudenti crisi, quæ fratrem posset contristare vel ad animi dejectionem impellere ?

8° An libenter approbo atque laudo quæ in fratre bona deprehendi, ut ei laude mea fraterna animos addam, et eum in benefaciendo confirmem ?

9° An videns fratrem laborantem tristitia, vel patientem adversa, vel forsan naufragantem circa famam, circa auctoritatem, circa valetudinem, discrete et suaviter moneo, consolor, de periculo certiorem facio, ejus defendo famam et auctoritatem pro viribus et pro temporis opportunitate ?

10° An ita fratrem amantem me probare gestio, ut sentiant omnes velle me cum omnibus concordiam, idem volendo, idem nolendo, gaudendo cum gaudente, flendo cum flente ?

11° An tanta est mea erga fratres benevolentia, ut pro ipsis paratus sim suscipere difficultates et labores, immo ipsam etiam, si salus eorum exigat, vitam pro eis ponere?

O mi JESU, utinam inter homines valeam imaginem referre tuæ suavissimæ benevolentiæ et caritatis. Amen.

RECOLLECTIO II.

MEDITATIO.

De ejectis e templo.

1. Præl. Nobis repræsentemus JESUM, accensum zelo honoris Dei, flagello ejicientem e templo vendentes et ementes, et audiamus eum dicentem : « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » (Joan., II, 16.)

2. Præl. Petamus gratiam imitandi *zelum* JESU pro domo Dei.

Triplex possumus considerare templum : 1° templum Judæorum, 2° templum Christianorum, 3° templum spirituale. Mysterium, quod contemplandum proponitur, agitur in triplici hoc templo, sed vario modo, ut explanabitur in tribus sequentibus punctis.

1um PUNCTUM. — **Templum Judæorum.**

a) Hoc pulcherrimum templum, cultui divino destinatum, *mundum* esse debebat, *decens*, ab omni *strepitu* et *tumultu* vacuum, ut ad illud adventantes possent *orare*, *audire cantus sacros*, *videre* sanctas religionis *cæremonias*...

Sed ecce ingens copia boum, ovium, columbarum !...Qualis strepitus, quales tumultus ! perpetuo auditur mugitus boum, balatus ovium, murmur columbarum, clamores ementium et vendentium, jurgia, rixæ, cachinni... Inter ista quid oratio ? Quid sacer cantus ? Quid reverentia erga sanctas cæremonias?— deinde quales *sordes !*

b) Quid fecerunt sacerdotes ? Tenebant oculos clausos, clausas aures, os clausum. Deerant officio,... vel ex *ignavia*,... vel ex *respectu humano*,... vel ex *spe lucri*,... vel ex culpabili *indifferentia*.

c) Quid Jesus? Mihi eum repræsento talem qualis erat in hac virili ætate. Quanta pulchritudo! Quanta majestas! Quanta modestia!... Ingrediens templum, constitit, aspexit, indignatus, videns sacerdotes, sanctæque indulgens iræ, confecit sibi e funibus flagellum, et virili audacia « ejecit omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. » (Matth., xxi, 12.)

Vere fortis dilectio et dura æmulatio !

Quænam, o sacerdos, tibi ex hoc facto Jesu deducendæ conclusiones ?

IIum Punctum.—**Templum Christianorum.**

Sane hoc templum sanctius est et venerabilius templo Judæorum. Unde ?
1° Ex præsentia corporis Jesu ;
2° ex præstantia sacerdotum ;
3° ex sublimitate sacrificii.

Ergo, si meretur templum Judæorum *reverentiam*, majorem meretur templum nostrum. Sed eheu ! Non omnia nostra templa *decentia* sunt aut *munda !* Quot sordes materiales ! Quot sordes spirituales ! Quantus non raro strepitus ! Venduntur diabolo *boves*, scilicet peccata mortalia ; venduntur *oves*, irreverentiæ multæ ; venduntur *columbæ*, aspectus, signa amoris, turpia colloquia !

Ubi præpositus templi ? Ubi sacerdos ? Adest quidem, *corporaliter*, sed parochiani agunt quasi non adesset. Videtur non videre, non audire,... habet os mutum,... nihil facit ut ecclesia sua sit locus sanctus... Non curat diligenter ut in ea vigeat *mundities*,... ut

in ea splendeat *ordo* ... Non impedit quin in ecclesia sit strepitus nimius ... risus... confabulatio... miseriæ his majores... Accipe igitur, o sacerdos, flagellum, flagellum sanctæ et paternæ objurgationis ; ... flagellum sancti et virilis conatus ad exstirpandum hunc tristissimum abusum.

III^um^ PUNCTUM. — **Templum spirituale.**

Quis sacerdos ignorat sancto Paulo familiare fuisse comparare animam nostram *templo ?*

« Nescitis, ait, quia templum Dei estis,et Spiritus Dei habitat in vobis? » (I Cor., III, 16.)

« Vos enim estis templum Dei vivi. » (II Cor., VI, 16.)

« Estis cives sanctorum et domestici Dei;superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum,ipso summo angulari lapide Christo JESU ; in quo omnis ædificatio constructa crescit in *templum* sanctum in Domino,in quo et vos coædificamini in *habitaculum Dei* in spiritu.» (Ephes., II, 19-22.)

Ex his pulcherrimis divi Pauli ver-

bis hanc deduxit conclusionem auctor Serm. 252 de Temp. qui legitur inter opera S. Augustini : « Et ideo, fratres carissimi, quia nullis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, inveniat quod oculos suæ Majestatis offendat. »

Videat igitur sacerdos quid in hoc templo Deo forsan displiceat. Displicent Deo in suo templo *sacerdotali* quæ vidimus modo ipsi displicuisse in templo *Hierosolymitano.*

1° Displicent *sordes*, cum dicatur in Scripturis sponsus purissimus pasci inter lilia. (Cant., II, 16.)

An omnia in te, o sacerdos, munda sunt? Nonne in te forsan *lutum*, quo figurari solet peccatum lethale? Nonne saltem *pulvis* nimius, seu peccatum veniale frequenter commissum? Nonne *telæ araneæ*, seu imperfectiones quædam crassiores?

2° Displicent *strepitus* atque *tumultus*, cum dicatur ipse «ducere animam

in solitudinem ut loqui possit ad cor ejus.» (Osee., II, 14.)

Nonne in te *mugitus boum*, i. e. turpis quarumdam passionum fremitus ?

Nonne *balatus ovium* seu desideria sæcularia et studium divitiarum, honorum, commodorum ?

Nonne *gemitus columbarum*, scilicet affectus teneriores erga quasdam pœnitentes ; de iis frequentior cogitatio, inopportuna confabulatio, imprudens visitatio, periculosa familiaritas ?

Nonne forsan anima tua est *locus negotiationis*, ubi inimici tuæ salutis agunt inter se de venditione bonorum tuorum ?

Nonne forsan, quod Deus avertat, anima tua est *spelunca latronum ?* Utinam nunquam oblivioni dedisses sapientissimum monitum S. Gregorii Magni dicentis viam, per quam ambulamus, obsessam esse a latrunculis, qui certissime nos invadent, nisi ab eis caveamus. Et qui sunt illi latrunculi ? Nonne amor tuus proprius, amor sensualis, amor carnalis ?

3° Displicent perturbatio et confusio

rerum. An vivis ordinate? An habes tibi constitutum et servas fideliter ordinem diurnum? An tibi tempus orandi, tempus studendi, tempus visitandi ægrotos, tempus excitandi discipulos atque magistros in scholis?

4° Displicet confabulatio et quidquid gravitati loci contrarium esset. An non nimium impendis tempus recreationi? An tua conversatio vere sacerdotalis est et ad ædificationem audientium? An nihil in verbis imprudens, leve, scurrile?

Sume igitur, o sacerdos, flagellum pœnitentiæ, utere, ut JESUS, sancta audacia, ad expellendum ex te quidquid hucusque Domino tuo habitationem, quam dignatus est sibi eligere, minus gratam minusque jucundam reddidisset. Amen.

CONSIDERATIO.

De unione Sacerdotis cum JESU.

Dixit aliquando Dominus JESUS, se posuisse Discipulos suos ut fructum afferrent, et quidem talem fructum qui mansurus esset. « Posui vos ut fructum afferatis et

fructus vester maneat. » (Joan.,XV,16.) Quæritur merito qua ratione possit sacerdos talem fructum producere. Audiat JESUM dicentem : « Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum ; quia sine me nihil potestis facere. » (Joan., XV, 5.)

Ergo conditio sine qua nullus fructificare ullo modo potest, est ut *unio sit* quam maxima Christum inter et eum qui intendit fructum afferre. Ut autem nobis sacerdotibus vehemens insit desiderium contrahendi arctissimam cum JESU unionem, duplicem hanc veritatem attenta mente consideremus:

1° *Sacerdoti nihil infelicius accidere quam si a Jesu vivat separatus.*

2° *Nihil beatius et jucundius esse sacerdoti quam si cum Jesu vivat conjunctus.*

I. — Duplici modo intelligitur quis separari posse a JESU, *voluntate* scilicet et *bonis.*

A) Separatur *voluntate*, dum *aliam* a voluntate JESU habet voluntatem, faciendo ea quæ voluntati JESU contraria sunt ; si, quod Deus avertat, aliquis sacerdos in grave incideret peccatum. Quam funesta sit sacerdoti talis separatio quantumque lugenda, frequenter in nostris recollectionibus menstruis perspeximus. Hic sufficiat in memoriam revocasse quod scripsit pius aliquis auctor, agens de peccato sacerdotum : Sicuti corruptio optimi pessima est, ita gravissimus

est et periculosissimus lapsus sacerdotum; quique vel semel de status sui excellentia deciderunt, facile ruunt in deteriora : similes sunt *torrentibus*, qui ex alveo egressi obvia quæque corripiunt et abripiunt. Sacerdotes *rupes* sunt, quæ semel a culmine avulsæ grandi impetu corruunt, et corruendo seipsas in præcipitio comminuunt, ita ut nec earum sisti valeat casus, nec ipsæ in pristinum statum attolli a casu. Ruina quæ ex alto est, semper magna est. Et vero quo freno coercebitur sacerdos qui cupiditati aut libidini laxavit frena? Quid non violabit, quo non prorumpet temeraria ejus audacia, qui sanguinem Testamenti polluendum duxerit, in quo sanctificatus est? Qui nec sibi infamiam, nec populo scandalum, nec Ordini divinissimo ignominiam, nec cœlestibus sacramentis, quorum minister est, injuriam metuit?

B) *Bonis* autem se a JESU separat ille qui, cum plena manu haurire queat divitias ex thesauro semper inexhausto tanti Regis, vitam ducendo *ferventem*, mavult pauper esse, vitam ducendo *humanam* prorsus et *sensualem ;* ita ut *practice bona inania* et *caduca* hujus miserrimæ vitæ *bonis veris* alterius vitæ anteponere videatur. Innumera damna talis incurrit sacerdos. Ipse JESUS dignatus est hæc damna nobis nota facere. « Si quis, ait, in me non manserit, mittetur

foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. » (Joan., XV, 6.)

Verum *quidem* est hæc verba, in sensu litterali accepta, referri debere ad eos qui lethali peccato se separant a JESU, et sane indicant sufficienter in quantam malorum abyssum tales proruant. Sed apta interpretatione possumus eadem verba applicare iis qui *bonorum* separationem ineunt, eo modo quo superius explicuimus.

Profecto quando quis lumina, vires, subsidia sua extra unionem cum JESU quærere solet ; quando nempe suis talentis, sua experientia, suis dotibus nitens, negligit exercitia spiritualia, frequenter et absque ullo rubore venialia peccata committit voluntaria ; quando nullum vult conatum adhibere ad sibi comparandum auxilium cœleste, *mittetur foras*, id est, mittetur foras extra vulnera Christi, extra familiaritatem divinam, extra consolationem spiritualem, extra lumina, extra favores, extra gratias speciales! — *Arescet.* Tædia patietur, tenebris operietur, desolatione quassabitur, stipes erit absque succo. — *Colligent eum.* Colligent eum nugæ sexcentæ, blandimenta vana et caduca, lectio librorum non utilium, sed amœnorum, confabulationes, convivia, mundus, dæmon ! — *Et in ignem mittent.* In qualem ignem ? In ignem antiquarum

passionum ; et *ardet* febri, ardet passione,... usque dum paulatim, ni attendat, deveniat ad alteram, voluntatis scilicet, separationem.

Cum magna veritate dixit S. Augustinus: « Unum de duobus palmiti congruit, aut *vitis* aut *ignis ;* si in vite non est, in igne erit ; ut ergo in igne non sit, in vite sit. »

II. — Nihil beatius esse potest sacerdoti quam cum JESU arctissime uniri.

Prima ratio, quia se dicit JESUS *veram vitem*. Quærit S. Athanasius quare Dominus potius *viti* se comparaverit quam alii arbori cuicumque, et respondet, et cum ipso respondent commendatissimi scriptores, Christum id fecisse *ob multas vitis dotes* quibus hæc aliis arboribus præcellit, quæ optime in sensu spirituali conveniunt amantissimo nostro Salvatori. Nimirum :

1° Propter *fructuum copiam ;* est enim fecundissima inter omnes plantas ;

2° Propter *suavitatem* fructus : est enim dulcissimus ;

3° Propter *vinum* quod ex ejus fructu conficitur, ad lætificandum cor hominis ;

4° Quia inter omnes plantas *maxime ramos* diffundit et expandit, et folia habet *latissima* quibus umbram procreat jucundissimam.

Ex his similitudinibus facile est intelligere quanta proveniant emolumenta sacer-

doti ex sua unione cum hac divina Vite, quæ Christus est, scilicet :

1° Uberrimos facit fructus,

2° Experitur miram suavitatem,

3° Verum habet gaudium cordis et ardorem, quo ad magna propellitur ;

4° Denique quasi sub umbra salutifera quiescit Christi protegentis. « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. » (Cant., II, 3.)

Secunda ratio est, quia Pater æternus dicitur ab ipso Christo *agricola*, qui palmites sibi veræ viti insertas curabit. (Joan., XV, 1, 2)

Quomodo autem purgat palmitem agricola ? Secando, ferrum adhibendo. *Ferrum* istud, quo utitur Deus, quid est ? Nonne *tribulatio* quam quis, Deo volente, patitur in hoc mundo ? Ferro hoc utitur Deus vel ad *pœnam* vel ad *purgationem*. Itaque ille sacerdos, qui intime conjunctus est cum JESU, patietur quidem tribulationem, sed ita eam patietur ut inde sibi major eveniat fructus, majus meritum, majus in cœlo præmium. Sine dubio, palmitibus divinæ viti insertis, semper invigilat benignissima ac misericordissima Dei providentia ; « diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. » (Rom., VIII, 28.)

Quam pretiosa igitur est hæc unio cum JESU ? Gratias ago tibi immortales, o mi JESU, quod me vocaveris ad vitæ statum, in

quo tam facile est invenire unde mihi comparem, si velim, hanc desideratissimam unionem.

EXAMEN.

Circa gratitudinem Sacerdotis.

Animus *gratus* esse potest in triplici gradu :

Primus gradus est servare beneficii *memoriam ;*

Secundus, pro beneficio *verbis* gratias agere ;

Tertius, *reddere* beneficium pro beneficio.

Sacerdos in hoc triplici gradu se gratum exhibere tenetur et erga *Deum* et erga *homines.*

I. *Erga Deum.*

1° An frequenter innumera Dei in me beneficia revolvo mente ?

2° An *gratias ago* quotidie et sæpe de die, præsertim in meditatione, in examine conscientiæ, post missam celebratam, post refectionem, et quotiescumque mihi subit beneficiorum quæ a Deo accepi recordatio?

3° An mihi familiare est illud quod frequentissime ex ore elabebatur S. Alphonsi Rodriguez : *Deo gratias?*

4° An hæc mea erga Deum actio gratiarum Deo digna est, non *frigida* scilicet, sed *ferventissima ?*

5° An soleo laborare, prædicare, sacramenta administrare, pati adversa, cum intentione, per hæc quæ *ago* ac *patior* Deo gratum exhibendi animum pro beneficiis acceptis?

II. *Erga homines.*

1° An diligenter homini cuicumque, etiam plebeio, gratias ago vel pro minimo officio quod mihi contulit?

2° An res dono acceptas, licet non sint magni pretii, sive pro ecclesia, *accurate servando*, ostendo me donum agnoscere et pro eo me velle gratitudinem testificari?

3° An saltem *scripto*, licet brevissimo, *statim* ac aliquod mihi donum missum est, grates rependo?

4° An litteris ad me missis tempestive respondeo?

5° An mihi laudabilis est consuetudo benefactoribus meis identidem significare quam magni faciam eorum beneficia, quamque libenter paratus sim vicissim beneficium pro beneficio conferre?

6° An mihi propono sæpe exemplum gratitudinis quod nobis dedit B. M. V., dum expressit sublime suum grati animi erga Deum testimonium, cantando tanto cum affectu: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo? »

RECOLLECTIO III.

CONTEMPLATIO.

De Incarnatione D. N. J. C.

1. Præl. In memoriam revocemus historiam Annuntiationis, quomodo scilicet Gabriel missus fuerit a Deo ad Mariam ad significandum ei mysterium redemptionis nostræ.

2. Præl. Oculo imaginationis conspiciamus cubiculum Dominæ nostræ.

3. Præl. Petamus gratiam intime cognoscendi Dominum JESUM in hoc mysterio, eum ardenter amandi fideliterque imitandi.

In triplici recollectione successive considerabimus *personas*, *verba*, *opera*.

Personæ.

1° *Quis mittit* Angelum ? Ipse Deus trinus et unus. Quam potens !... Quam sapiens !... Quam beatus ! Sibi sufficiens erat ad suam infinitam felicitatem ; sed, æterna ductus caritate, hominem creavit. Ab homine dein offensus atque contemptus, nihilominus agit consilium de *eo redimendo*, deque cœlo,

quod homo per peccatum imprudenter sibi clauserat, iterum ei misericorditer aperiendo. Quanta bonitas! Quis, o mi Deus, hæc considerans non exsultet spe atque lætitia? Si enim hominem *inimicum* ita dilexisti ut Filium tuum unigenitum dares, quomodo non diligeres hominem tibi reconciliatum quemque tibi dignatus es in *filium* adoptare? In te ergo, Domine, sperabo, non confundar in æternum.

2° *Quis mittitur?* Angelus Gabriel. Quantum differt hic ab illo angelo, qui insurgens in Deum suum, dæmon factus est et detrusus in infernum!... Quam pulcher Gabriel, quam fœdus Lucifer!... Quam felix Gabriel, quam miser Lucifer! et utriusque sors æterna est! O Lucifer, quam stulte egisti peccando! Utinam nunquam tuam stultitiam imitatus fuissem!

Nomen Angeli est *Gabriel*, seu *fortitudo Dei*. Huic Angelo tale nomen donando, profecto Deus significare voluit non aptum esse ad cooperandum Deo in salutem animarum, nisi qui *fortis* est animo atque *generosus*. An

talis sum ego? Sis tu, o Domine, deinceps robur meum ac fortitudo.

3° *Ad quem mittitur* Angelus? Ad Mariam... Quam modesta!... Quam simplex!... Quam pauper!... Ignoras te, o pulcherrima mulierum! Oculis tuis nulla te humilior, nulla te abjectior. Vivis abscondita, et aliquo modo hominibus ignota. Sed quam magna, quam admirabilis appares Angelis et Deo! Ut sol inter astra splendes. Hinc, o Maria, gaudium meum. Intelligo enim minime mihi necessarium esse ut cognoscant me homines aut magni me faciant. Si aliqua laude dignus sum, laudabunt me Angeli, laudabit me Deus; et hoc mihi sufficit.

4° *Propter quos* mittitur Angelus ad Mariam? Propter homines. Omnes unius patris filii sunt, patris nobilissimi quondam, sed qui ob prævaricationem suam gradu suo dejectus, filios genuit omnes *dignitate* spoliatos — heu quales! Quid vero, si non fuisset concessus Redemptor?

Redemptio quidem jam inde ab exordio mundi fuerat promissa; nihilo-

minus brevi tempore oblivioni datur ipse Deus ; — electa fuit familia una, in qua divinæ promissionis memoria servaretur ; ex hac populus electus, — at hic ipse *qualis* demum lapsu temporis ! — Quin etiam nunc, post completum opus redemptionis, *quales* homines ! Et inter hos, o mi Jesu, sum et *ego*, cum cæcis cæcus, insaniens cum insanientibus, nisi misericordia Redemptoris me liberasset. Sed, o misericordissime Salvator, quot et nunc homines vivunt quasi Redemptor non venisses ! Extra beneficium Redemptionis se agitant miseri, cæci, insanientes, et præcipiti passu ruunt ad abyssum æternæ infelicitatis. An sufficienter ego sacerdos tam tristi spectaculo moveor ? An sufficienti zelo inflammatus, omnem adhibeo conatum, ut per me multo plures beneficium Redemptionis cognoscant, pro dignitate æstiment, accipiant, eodemque utantur plenissime ad suam æternam felicitatem ?

CONSIDERATIO.

De spiritu humilitatis.

Ut Christum *sequi* valeamus *serio*, omnino necessarium est ut ipsius spiritum bene perspectum habeamus, eumque aliquo modo, ut vult S. Paulus, *induamus*, ita ut spiritus JESU in nobis vivat.

Spiritus Christi apostolos in laboribus atque ærumnis omnibus et *invictos* et *felices* reddidit.

Sed quis est spiritus Christi? Est *spiritus contradictionis*, hoc est, *inclinatio* et *affectio* per omnia contradicens *spiritui mundi ;* quod enim extollit mundus, Christus contempsit ; quod mundus horret, Christus amavit ; quod mundus appetit, Christus fugit.

Atque hic spiritus exhibet se in ipsius doctrina, cujus synopsin octo Beatitudines comprehendunt.

Et re quidem vera, mundus *divitias* facit plurimi et quærit ; *paupertatem* detestatur, horret, fugit. Christus autem audacter pronuntiat : « Beati pauperes spiritu » et *se pauperem* probavit per totam vitam suam mortalem.

Quod dicimus de divitiis et paupertate, idem dicendum est de honoribus, de opprobriis, de cæteris omnibus quæ mundus diligit vel detestatur.

Debet igitur et ipse sacerdos tota sua

agendi et loquendi ratione per omnia spiritui mundi contradicere.

Spiritus JESU in specie est spiritus *humilitatis*. Superbia mundus perierat, humilitate salvari debuit. Per viam superbiæ recesserat homo a patria, per viam humilitatis ad patriam redeundum illi est.

Nonne dux noster per hanc viam ivit? Videte eum descendentem de cœlo, et, ut loquitur S. Gregorius Magnus, « purpuram suæ divinitatis cooperientem cilicio nostræ mortalitatis. »

Nonne dixit divus Paulus : « Exinanivit semetipsum? » O quam merito dixisti tu ipse, o mi JESU : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. »

Videat igitur sacerdos quomodo et ipse *humilis* esse debeat.

1° Ante omnia humilis sit *mente*.

Ut humilis esse queat mente, necesse est ut justam sibi efformet *gloriæ* notitiam.

Altera enim est gloria quæ venit *ab hominibus*, altera quæ venit *a Deo*. *Illa* sæpe *injusta*, semper *inconstans* et *transitoria*. *Hæc* autem semper *justa*, *constans* et *æterna*. Quapropter exhortatur nos S. Paulus ut quæramus gloriam quæ venit a Deo, et flocci faciamus gloriam quæ venit ab hominibus. « Qui gloriatur, ait, in Domino glorietur. » Recte agamus per omnia, minime solliciti de judicio humano.

2° Humilis sit *ore.*

a) Nunquam semetipsum jactet aut laudet ; propria enim laus fœtet.

b) Non multum loquatur de *se* et de suis talentis.

Est et alter modus se probandi humilem ore, altior, sublimior, nempe si sacerdos, impetitus injuriis, calumniis, *taceat*, ut tacuit Dux noster. Dum enim accusabatur coram populo de multiplici crimine, *Jesus*, ait Evangelista, *tacebat.* Hoc silentium vocat S. Ambrosius, *silentium triumphale.* « *Tacendo*, ait S. Augustinus, adversus dolos inimicorum dimicavit. »

Hoc silentio si uteretur sacerdos, innumeros de inimicis suis referret triumphos.

3° Humilis sit *actione.*

Ubique cavere debebit sacerdos ab *ambitione ;* non enim cessat diabolus susurrare ad ipsius aures : « Amice, ascende superius. » Quam multi miseri facti sunt, quod huic suggestioni diabolicæ annuerunt! E contrario, quam beatus sacerdos bonus, qui accipiens de manu episcopi, tamquam de manu Dei, munus suum, quantumcumque humile sit et vile in oculis hominum, id omni diligentia et studio satagit adimplere, quin videatur adspirare ad altiora !

4° Humilis sit *affectu.*

Audiat sacerdos S. Augustinum dicentem : *Superbia* est *amor sui* usque *ad con-*

temptum Dei ; humilitas est *amor Dei* usque *ad contemptum sui.* In hoc sensu proponit S. Ignatius, in admirabili suo libello exercitiorum, tres distinctos gradus seu modos humilitatis ad quos sapienter attendet quisquis experitur in se stimulos ad consequendam veram solidamque humilitatem. Liceat hic, ad usum exercitantium, describere locum quo S. Scriptor exhibet pulcherrimam suam de humilitate doctrinam.

« Primus modus humilitatis est *necessarius* ad salutem æternam, scilicet quod *ita me demittam*, et *ita me humiliem*, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Dei Domini nostri, adeo ut etiam si me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro vita temporali conservanda, non veniam in deliberationem transgrediendi mandatum aliquod, sive divinum, sive humanum, quod me obliget sub peccato mortali.

« Secunda est perfectior humilitas quam prima, scilicet, si ego in tali me constitutum puncto inveniam ut non velim, neque afficiar magis ad habendum divitias quam paupertatem, ad cupiendum honorem quam ignominiam, ad desiderandam vitam longam quam brevem, ubi æquale fuerit servitium Dei Domini nostri et salus animæ meæ æqualis: itemque, ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent,

in deliberationem veniam committendi aliquod veniale peccatum.

« Tertia est humilitas perfectissima, scilicet quando, includendo primam et secundam, ubi æqualis fuerit laus et gloria divinæ majestatis, *ad imitandum Christum Dominum nostrum*, utque ei magis actu similis fiam, volo et *eligo magis* paupertatem cum Christo paupere, quam divitias ; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores ; et magis desidero æstimari vanus et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam æstimari sapiens ac prudens in hoc mundo. »

EXAMEN.

Circa spiritum mundi.

Nullus non intelligit quam turpe sit sacerdotem non sequi *principia Christi*, sed *principia mundi*.

1° *Christus* docet nos primum quærere regnum Dei et justitiam ejus ; *mundus* nos docet quærere ante omnia divitias, honores, delectamenta.

An igitur mea prima et maxima est sollicitudo de procuranda gloria Dei et salute animarum ? An forsan ex meo agendi modo et loquendi non videor rebus hujus vitæ magis studere quam iis quæ pertinent ad vitam æternam ?

2° *Christus* docet nos quærere ultimos discubitus ; *mundus*, primos.

An non semper adspiro ad munera speciosiora, ad dignitates ampliores, sorte mea parum contentus ? An non invideo sacerdotibus altius me evectis ? An non audior identidem conqueri quod injuste jaceo in oblivione apud superiores? An non ipsos superiores audior carpere, quasi inconsiderate distribuant officia atque beneficia suis sacerdotibus,non autem pro uniuscujusque merito?

3° *Christus* docet nos injurias condonare patientique animo adversa perferre ; *mundus* autem docet honori ducendum si quis injuriam vel mīnimam non omittat sine vindicta, et immiti animo repellat quidquid amori proprio repugnat.

An non altius in mente repositum manet quidquid mihi injuriæ illatum sit ? An ego, minister Dei misericordissimi, non nego adversario misericordiam quam implorat ? An non aliquando passus sum me duci appetitu vindictæ ? An non impatienti animo accipio quidquid meæ voluntati obstiterit ? An non ita me habere soleo in aliqua tribulatione constitutus, ut putent me summopere a tribulatione abhorrere ?

4° *Christus* docet *beatius esse* dare quam accipere ; *mundus* autem docet beatius esse divitias augere in dies quam de iis aliquid demere quod pauperibus elargiamur.

An non merito dicitur de me « quod manus mea porrecta sit ad accipiendum, et ad dandum collecta? » (Eccli., IV, 36.) An forsan pauperes me detestantur quod non immerito credant me turpi avaritiæ labe infectum?

5° *Christus* docet munditiem cordis esse fontem veræ beatitudinis, ærumnas vitæ atque hominum persecutiones rationem esse lætandi et exsultandi ; *mundus* autem docet hominem carere felicitate, si non satisfecerit carnis concupiscentiis,et causam esse justam mœroris atque luctus omnem contrarietatem vitæ.

An non videt me angelus custos aliquid haurientem delectamenti ex fontibus venenatis carnis potius quam ex fontibus angelicæ castitatis? An vel semel sincere lætatus sum de re aliqua adversa, de aliqua humiliatione, de injusta persecutione?

6° An generatim ita ago, ita judico, ita loquor ut viris vitæ spiritualis expertis evidenter pateat in me vigere, non spiritum mundi, sed spiritum JESU?

Domine JESU, obsecro ut fiat in me spiritus tuus,ita ut *horream* quod amat mundus, et *amem* quod horret. Amen.

RECOLLECTIO IV.

CONTEMPLATIO.

De Incarnatione D. N. J. C. (2°)

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo Angelus Gabriel Beatam Virginem salutans, Divini Verbi conceptionem ei nuntiavit.

2. Præl. Videamus humile cubiculum B. M. V., eamque in eo orantem conspiciamus.

3. Præl. Petamus gratiam ex verbis, in hoc mysterio prolatis, uberrimos fructus colligendi.

Verba.

Valde nobis utile erit cum simplicitate expendere præcipua *verba* quæ dicta leguntur in hoc mysterio a Filio Dei ad Patrem, ab Angelo ad Mariam, a Maria ad Angelum.

I. Verba *Filii Dei.*

« Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.» (Hebr., x, 5-7.)

His verbis *se totum* Patri obtulit Jesus in holocaustum, et nunquam usque ad finem vitæ de hoc holocausto aliquid visus est demere. An idem dici potest, o mi Jesu, de sacrificio quod ego tibi obtuli die qua evectus sum ad dignitatem sacerdotalem? Tunc certe mihi statutum erat atque fixum tibi offerre sacrificium mei ipsius juge, perfectum, irrevocabile. An steti proposito? Eheu! Quoties me reum feci rapinæ in holocausto! Saltem nunc mihi liceat renovare tibi meam oblationem et dicere cum sancta Gertrude, famula tua, et cum aliquo sacerdote tuo fideli: Fiat, Domine, in me, de me, ex me, per me, circa me et omnia mea sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, semper et ubique, nunc et in æternum.

II. Verba *Angeli* ad Mariam.

1° *Ave!*

Quanta cum veneratione hoc verbo salutasti Mariam, o Gabriel! Ex corde unio me tibi et omnibus Angelis et Sanctis Dei, qui non cessatis clamare in cœlo, cum ingenti lætitia: *Ave*, Filia, Mater, Sponsa Dei, ave!

2° *Gratia plena.*

Bene gratia *plena* dicitur, quia aliis ad mensuram gratia datur, hæc autem sola gratiam, quam nulla meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore. « Vere gratia plena, ait S. Hieronymus, per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura ; quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum, pacemque refudit hominibus, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. »

Laudat Angelus, non generis nobilitatem, non dotes naturales, quæ tamen in Maria admirabiles erant, sed plenitudinem gratiæ ; laudat scilicet id quod Mariam præ cæteris Deo *gratam* reddebat. O utinam mea præcipua sollicitudo esset, unicum meum studium, *Deo placere per omnia !*

3° *Dominus tecum.*

Tecum scilicet, non tantum per essentiam, potentiam et præsentiam, qualiter est in omnibus rebus ; nec solum per gratiam, eo modo quo est in sanctis hominibus, sed etiam per carnis assumptionem de ipsius purissimo sanguine.

Quam merito Angelus gratulatur Mariæ de hac singulari Dei protectione, et quam jucunda esse debuerunt Mariæ quæ hic ab Angelo dicuntur! « Si enim Deus pro nobis, ait S. Paulus, quis contra nos? » Quanta inde tibi securitas, o Maria, quanta animi fortitudo contra omnes hominum vel dæmonum molitiones. Rogo te, o mi Deus, ut etiam *mecum* esse digneris, in laboribus meis, in ærumnis meis, in omni mea pressura. Te me protegente, quæ vis, sive humana, sive diabolica mihi poterit nocere? Etiamsi consisterent adversus me castra omnia inimicorum, non timerem, quia tu mecum. Sed te deficiente mihi, quid mihi prodessent omnia auxilia humana? Tu solus mihi sufficis, o mi Deus!

4° *Benedicta tu in mulieribus.*

Merito, ait Ludolphus, super omnes mulieres benedicta prædicatur; omnis enim mulier subjacet maledictioni *Dei*, vel *Legis*. Nam si nupta subjacet maledictioni *Dei*, qui ait: « In dolore paries, » *virgo* subjacet maledictioni *Legis*, in qua erat maledicta *sterilis;* sed

Maria utrumque maledictum vitavit; maledictum Dei, quia *virgo* permansit; maledictum *Legis*, quia *filium* habuit. Et de hoc, amantissima Virgo, tibi gratulor ex toto corde. Et tu, o mi Deus, concede mihi ut ego sacerdos inveniar inter homines vere *benedictus* eodem fere modo quo Maria salutata est *benedicta* ab Angelo, homines *superans virginitatis meæ splendore*, et zelo meo *gignens* innumeros filios, mecum aliquando in cœlo regnaturos.

Merito etiam *benedicta* dicitur, per quam mundus a maledictione liberatur. Utinam et sub hoc respectu me dicere possint homines *benedictum*, eo quod intelligunt me orare, me laborare, me agere pœnitentiam, ut a grege meo avertam maledictionem, quam forsan incurrit peccando et male vivendo.

5° *Ne timeas, Maria.*

Maria legitur *turbata* in sermone Angeli, cogitans qualis esset illa salutatio. Quare turbaris, o Maria? Turbatur, ait S. Chrysostomus, *a)* propter novæ apparitionis speciem, quia etsi consueta fuit videre Angelum, nunc

tamen novo modo apparuit ei, sumpta specie corporali et cum ingenti lumine et splendore ; *b)* propter virginalis pudicitiæ verecundiam, quia trepidare virginum est et ad omnes viri ingressus pavere ; *c)* propter novæ salutationis formam ; *d)* propter laudationis excellentiam qua Angelus in suo sermone eam laudavit. Turbata est igitur ex *verecundia*, ex *humilitate*, ex *prudentia*. Unde tamquam prudens et cauta *nihil respondit*. O quam grata fuit Deo et Angelo hæc humilis et castæ Virginis turbatio ! — Ego etiam, o Maria, nonnunquam videor *turbatus*, non propter laudes, sed propter vituperium, propter verba despicientiæ aut contemptus : et tamen homo vere humilis solet, sicut tu, de laudibus et honoribus erubescere et dolere. O quam longe absum a tali animi dispositione ! Doce me ergo, obsecro, veram humilitatem.

6° *Invenisti gratiam apud Deum.*

Quomodo invenisti gratiam ? Certe *humilitate*, *castitate* et conscientiæ *puritate*. Det mihi Deus ut ego tantæ sim puritatis et tantæ humilitatis, ut

angelus meus custos mihi dicere valeat: Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum.

7° *Ecce concipies in utero, et paries filium.*

Profecto *concipies* sine peccato, sine macula; *paries* filium, sine dolore et tristitia, virgo permanens in partu sicut in conceptu; *in utero*, jam enim per fidem et devotionem concepisti eum in *corde tuo*. Enixe rogo te, o benignissime Salvator, ut mihi sacerdoti tantam infundas gratiam ut, sicut Maria, valeam *concipere* te per fidem et devotionem, et *parere* per sanctam operationem.

8° *Et vocabis nomen ejus Jesum.*

Qua reverentia, quo affectu, quamque frequenter hoc suavissimum nomen postea pronuntiasti, o Maria! Doce me ita diligere nomen Jesu, ut perpetuo sit in mente mea, in meo corde, in labiis meis, et nunquam illud pronuntiem nisi cum summa veneratione et ardentissimo amore.

9° *Ipse enim salvum faciet populum suum.*

Salvum faciet populum suum a *peccatis eorum*. Quisnam populus Jesu? Nonne ille qui ipsi per fidem adhæret eumque bonis operibus imitatur? Dignare igitur, Domine, me peccatorem adnumerare populo tuo, ut salvum me facias a peccatis meis!

10° *Spiritus superveniet in te... et ecce Elisabeth, cognata tua, ipsa concepit in senectute sua.*

Consideremus quomodo Angelus *securam* reddat Mariam, narrando *Dei opera* tum *facta* in Elisabeth, tum *futura* in ipsa B. Virgine, quæ prædicit et promittit.— Hinc discere debeo, ego sacerdos, in anxietatibus suis alios a me erigendos esse *operibus futuris*, quæ nobis *prædicta* sunt et *promissa* in Scripturis. An igitur sufficienter pauperibus, afflictis, infirmis, injicio recordationem eorum quæ Deus præparavit Electis suis in cœlo? O si frequentius, si ardentius, in cathedra, in confessionali, in epistolis, in conversatione de gaudiis cœli sermonem instituerem, potentior essem ad consolandos, ad erigendos, ad inflammandos animos non solum

justorum, sed etiam maximorum peccatorum.

III. Verba *Mariæ* ad Angelum.

1° Miremur suavem Dei dispositionem, quæ nihil quodam modo agit jure suo, sed hominis voluntarium assensum requirit. Illum ergo Virginis assensum exspectabat tota Sanctissima Trinitas, totum genus humanum efflagitabat. Conspiciamus Virginem prudentissimam, auditis Angeli verbis, profundissima veneratione genua flectentem ac manibus expansis, deinde junctis, et oculis in cœlum elevatis, cum inæstimabili humilitate proferentem desideratissimum verbum, toto cordis affectu audiendum : « *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* »

Spirant profecto hæc verba stupendam humilitatem, spirant generosissimam devotionem : « *Ancillam* se dicit *Domini*, quæ *Mater* eligitur *Dei.* » — « O vera humilitas, exclamat S. Augustinus, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, paradisum aperuit, et hominum animos liberavit. Ecce facta est Mariæ humilitas scala

cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. » — Doce me, o Maria, donis Dei non extolli, sed potius humiliari.

2° *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?*

Hisce verbis sane nobis pulcherrime insinuat B. Virgo se Deo in perpetuum vovisse virginitatem, simulque ostendit quanti id votum faciat. Præterea hic admirabiliter se probat sollicitam pro sua virginitate. O quantum Deo placere debuit hæc Mariæ sollicitudo ! Amat singulariter Deus mentes virgineas. Gaudeo quod per gratiam Dei licuit mihi etiam in perpetuum vovere virginitatem; sed an sufficienter memor sum hunc thesaurum a me in vasis *fictilibus* portari ? O Maria, fac ut castus vivam, castus moriar !

CONSIDERATIO.

De exercitio humilitatis.

« Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » (I Pet., v, 6.)

Hisce verbis indicat princeps Apostolorum multiplex humilitatis exercitium, in quo convenit ut inter omnes excellat Sacer-

dos. Evidenter loquitur S. Petrus de illa humilitate qua mereatur homo ut a Deo exaltetur in extremo Judicio. Talis autem humilitatis, ait Bellarminus, quinque sunt species.

Prima species humilitatis est *humilitas intellectus*, quæ proprie in *fide* conspicitur. Equidem difficile non est genua flectere, quæ ad nutum obediunt voluntati, sed altissima humilitas est cogere intellectum ad credenda quæ non intelligit. Altior adhuc est humilitas, cum cogitur intellectus ad credenda quæ videntur repugnare sensibus, ut cum jubetur credere in Eucharistia esse quod non videtur, et non esse quod videtur. Proinde *fides* est humilitas intellectus qui acquiescit veritati revelatæ, se tenens quasi captivatum vinculis auctoritatis divinæ.

Secunda species humilitatis est *humilitas voluntatis*. Consistit autem in hoc quod homo maxime diffidit de viribus propriis et e contrario totam suam spem ponit in Deo. Sine dubio magna humilitas est hominis, qui, quantumvis doctus et potens, et viribus præditus, non tamen confidit in suis viribus, sed totus *vult* pendere ab auxilio divino. Sperat sane victoriam de passionibus et de tentationibus etiam vehementissimis ; eam tamen non de se præsumit, sed de adjutorio Altissimi exspectat.

Tertia species humilitatis, ut præcedens,

pertinet ad voluntatem, et exhibet se per *obedientiam*. Quid enim est obedire nisi subjicere voluntatem creatam ad facienda ea omnia quæ jubet voluntas increata? Hujus humilitatis præclarissimum exemplum nobis dedit Christus, dum, ut dicit S. Paulus, « humiliavit semetipsum, factus *obediens* usque ad mortem. » (Phil., II, 8.) Hæc autem obedientia vere humilis esse non potest aut perfecta, nisi conjuncta sit cum *caritate*, dicente Domino : « Si quis *diligit me*, sermonem meum servabit... Qui non diligit me, sermones meos non servat. » (Joan., XIV, 23, 24)

Quarta species humilitatis, etiam pertinens ad voluntatem, est ipsa *patientia* qua quis tranquillo animo suffert pro amore Dei quæcumque inferuntur damna corpori vel honori, vel opibus, sive nostris, sive nostrorum. Hæc humilitatis species « opus perfectum habet. » (Jac, I, 4.) Plus enim est æquanimiter tolerare injurias, et sic humiliari et *subjici inimicis*, quam subjici Deo et ejus Vicariis per obedientiam.

Quinta species humilitatis est ipsa *humilitatis virtus* proprie dicta. Hæc autem humilitas nihil aliud est nisi *vera sui cognitio*, et quæ ex cognitione sponte nascitur, *sui ipsius despicientia*. Ope hujus humilitatis, agnoscimus hominem ex se ipso nihil esse, et quidquid habet boni, donum esse Dei, quod proinde Deus, si voluerit, potest auferre,

Hæc etiam humilitas efficit ut homo libenter per omnia ultimus reputetur et accipiat novissimum locum, intelligens multos esse se meliores, et maximum peccatorem, si convertatur, posse occupare aliquando thronum suo altiorem.

Ergo illud *Humiliamini* continet fidem, in Deo fiduciam suique diffidentiam, obedientiam, patientiam et humilitatem.

Quisquis igitur sacerdos exoptat ut *in die visitationis* a Domino singulariter exaltetur coram hominibus et coram Angelis, *exerceat* se sedulo in hac quintuplici humilitatis specie. Sanctos et continuos conatus adhibeat ut *fides* sua sit firmissima ; ut *diffidens* sui, omnem ponat *fiduciam* in solo Deo suo sapientissimo, potentissimo, amantissimo ; ut sua obedientia plenissime se subjiciat Dei voluntati nec non voluntati vicariorum Dei ; ut obedire gestiat usque ad mortem crucis ; ut gaudeat de loco ultimo et de omni ipsius contemptus significatione.

Quod autem maxime debet stimulare sacerdotem ad amplectendum generoso animo descriptæ humiliationis exercitium, est sine ullo dubio præmium quod in nomine JESU promittit S. Petrus, dum dicit : « Ut vos exaltet Deus in die visitationis. »

Quemadmodum,ait Bellarminus,per illud verbum *Humiliamini* significantur *omnes*

virtutes necessariæ ad salutem, ita per hoc verbum *ut vos exaltet,* ostendere possumus apte significari *omnes partes gloriæ* et *beatitudinis.* Nam qui se humiliaverit *credendo* verbis Dei, exaltabitur ad *visionem* essentiæ Dei, quæ est altissima sapientia. Qui se humiliaverit *diffidendo* de suis viribus, et in Deo spem suam collocando, exaltabitur ad summam *potentiam,* ut jam nec cadere neque impelli, id est, nec peccare nec tentatione pulsari possit. Qui se humiliaverit *obediendo* Deo et vicariis ejus, exaltabitur ad imperium omnium creaturarum inferiorum, ut omnes ei subjiciantur. Qui se humiliaverit *patiendo* pœnas et mortem pro Dei gloria, exaltabitur ad *immortalitatem* et impassibilitatem, ut nihil ei nocere possit. Denique qui se humiliaverit *recumbendo* in novissimo loco, exaltabitur super omnes cœlos usque ad participationem throni divini, juxta illud: « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. » (Apoc., III, 21.)

O sacerdos, quam felix tibi flueret vita quamque jucunda, si paratum te probares ad utendum omni occasione te humiliandi pro Deo, præfulgente oculis tuis effato divino: « Qui se humiliat, exaltabitur! » Fac, o JESU, ut hoc tuum verbum nunquam jam e mente mea elabatur. Amen.

EXAMEN.

Circa exercitium humilitatis.

I. Prima species humilitatis consistit *in fide.*

1° An fides mea ita firma est ut non sinam eam vel minimo dubio obnubilari?

2° An hæc fides mea elucet etiam in mea loquendi ratione, cum agitur de rebus ad fidem pertinentibus?

3° An ita ducor spiritu fidei in omnibus ut nullus eventus jam valeat me perturbare?

4° An caveo ab omni librorum et ephemeridum lectione ex qua fides mea posset aliquid damni pati?

5° An libenter lego libros ex quorum lectione intellectus meus circa res fidei illustretur et fiat in credendo robustior?

II. Secunda species humilitatis consistit in *diffidentia sui.*

1° An non nimium confido viribus meis, talentis, doctrinæ, prudentiæ?

2° An non nimium confido subsidiis *humanis*, neglecto recursu ad subsidia *supernaturalia?*

3° An ita pono fiduciam meam in Dei sapientia, potentia, caritate, ut audeam omnia mihi utilia ab Eo sperare atque humiliter rogare, sine ulla hæsitatione?

4° An talis est mea fiducia in Deo, ut

mihi persuasum sit idem esse *petere* aliquid a Deo atque *obtinere*, dicente JESU: « Petite, et accipietis? »

III. Tertia species humilitatis est *obedientia.*

1° An constanter obedio Deo, nullum unquam violando voluntarie Dei mandatum?

2° An fideliter obedio *Ecclesiæ*, servando fideliter omnia ejus præcepta, quippe quæ in terris repræsentet auctoritatem Dei?

3° An simpliciter, prompte, confidenter et in spiritu fidei obedio superioribus ecclesiasticis omnibus, eos considerando ut legatos et vicarios Dei?

4° An obedio cæce meo directori spirituali ut Christo, cujus gerit vices?

IV. Quarta species humilitatis est *patientia.*

1° An sustineo pœnas et ærumnas, sive in corpore, sive in bonis temporalibus, sive in honore, ita ut non videar conqueri de meis malis?

2° An aliqua re de me dicta superioribus, non statim inquiro *quis* de me rem detulerit, *quare* et *quomodo* id fecerit, ut possim de auctore delationis aliquam sumere vindictam?

3° An forsan in re adversa constitutus, nunquam usus sum *silentio triumphali*, quo S. Augustinus asserit Christum Dominum usum fuisse adversus dolos inimicorum?

V. Quinta species humilitatis est *sui despicientia.*

1° An non nimium cupio ab aliis laudari, magni haberi?

2° An non nimium tristor quod defectus mei aliis innotuerint?

3° An more sanctorum gaudeo de omnibus circumstantiis quæ mihi præbent occasionem me humiliandi?

O certe hic apex est humilitatis, ad quem ut ascendamus a minimis in dies occurrentibus auspicandum est.

O mi Deus, concede mihi gratiam perveniendi ad perfectam imitationem Filii tui, « qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. » (Hebr., XII, 2.)

RECOLLECTIO V.

CONTEMPLATIO.

De Incarnatione D. N. J. C. (3°)

1. Præl. Videamus Archangelum discedentem a Maria et redeuntem in cœlum cum ingenti lætitia propter legationem prospere gestam.

2. Præl. Petamus gratiam imitandi admirabilia opera quæ in hoc mysterio facta conspiciuntur.

Opera.

I. Opera *hominum.*

Homines extra beneficium Redemptionis miseri atque perversi, laborant, fatigantur multum, patiuntur adversa, sed frustra. Opera eorum mortua sunt et nihil conferunt ad vitam æternam. — O Domine Jesu, licet redemptus sim ego sanguine tuo, attamen, si culpa mea privatus sim gratia tua, frustra et ego laborabo, frustra sudabo, frustra fatigabor, frustra patiar. O da mihi gratiam nullo unquam peccato me privandi amicitia tua, extra quam omnia vana, caduca atque peritura in æternum.

II. Opera *S. Gabrielis.*

S. Angelus Gabriel legatione, quam ipsi committere dignatus est Deus, *fungitur* maxima cum *fidelitate* et cum ingenti *gaudio*, non tractans de divitiis, de regnis, de honoribus, sed de sublimi negotio Incarnationis et Redemptionis. Non quærit proprium aliquod commodum, sed unice gloriam Dei hominumque utilitatem. — *Veneratur* Virginem Mariam omnique prævenit honore, non ignorans qualis sit Virgo, quamque sanctissimæ Trinitati cara. Timidam atque sancte turbatam roborat verbis, summam caritatem spirantibus, Eamque docet vias Domini.

Qua fidelitate et quanta cordis lætitia ego altissima mea fungor legatione a Domino accepta? An non videor munera mei Sacerdotii obire, potius intuitu mercedis humanæ quam gloriæ Dei vel salutis proximi? — An prosequor veneratione animas ad quas me suum legatum misit Deus, sciens eas ad imaginem Dei creatas, et sanguine Jesu madidas, ad regnum æternum destinatas? — An omni qua possum

industria eas doceo vias per quas ambulent ut tuto et secure perveniant ad patriam ? O si haberem zelum, ut Angelus !

III. Opera *B. V. M.*

Maria se *devovet* beneplacito Dei et generis humani redemptioni. Non quidem ignorat Filium, quem hocce momento ex operatione Spiritus sancti concipiebat, futurum esse *virum dolorum, opprobriis* saturandum, *morte* turpissima plectendum, et proinde Maternitatem, qua honoratur, sibi fore fontem laborum, tribulationum atque ærumnarum ; nihilominus absque ulla cunctatione *onus* gravissimum subit, plenissime se subjiciens voluntati divinæ, unice intendens laudem et obsequium divinæ Majestatis mundique utilitatem. O Maria, gratias ago tibi quod promptissimo tuo ac generosissimo *consensu* finem attulisti miseriis quibus inobedientia Hevæ mundum impleverat. Merito dicere possum cum S. Bernardino :

« In conceptionis Filii tui consensu, plus meruisti quam omnes creaturæ,

tam angeli quam homines, in cunctis actibus, motibus et cogitationibus suis». (*Sermo pro concept. immac. Virg.*, art. III, c. I.) Fac, o benignissima Mater, ut et ego, quodcumque mihi demandabitur munus sacerdotale, id accipiam *devote*, licet forsan videatur molestum atque ingratum, non attendens ad proprium meum commodum, sed ad laudem Dei et ad animas. O quanta nunc mihi esset consolatio, si ad omne superioris mandatum, sicut tu, statim respondissem: Ecce servus tuus, fiat mihi secundum verbum tuum!

IV. Opera *Verbi divini.*

1° *Sese humiliat.* O quis mente possit capere profunditatem humilitatis qua *Verbum* factum est *caro*, qua *Deus* factus est *homo!* Tanta hæc fuit humilitas ut S. Paulus, nesciens quibus verbis eam æquaret, simpliciter eam vocaverit *exinanitionem:* «Semetipsum, inquit, exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.» (Phil., II, 7.) Tanta fuit hæc humilitas, ut sancta Mater Ecclesia suos voluerit sacerdotes in

Missæ sacrificio non nisi *genuflectentes* dicere : « Homo factus est, » et « Verbum caro factum est. »

Quantum, o mi Jesu, mea distat humilitas ! Tu dignatus es *descendere* de cœlis ut te exinanires, et ego semper *ascendere* conor in hominum opinione, gestiens omnium oculis apparere, ut mirentur me, laudent atque suis applausibus prosequantur. Et tamen dixisti : Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Experientia etiam didici quam sit laboriosum sibi aliquid gloriæ acquirere, quanta cum sollicitudine laboriose obtentum retineatur, quantaque cum tristitia et mœrore animi retentum amittatur. Et tamen, o mi Jesu, avide emendico ab hominibus gloriolam, qua non concessa turbor atque tristitia tabesco.

2° Jesus continuo *se obtulit* Patri ad vitam laboriosam et ærumnosam atque ad mortem ignominiosam. An ego hac in re imitatus sum amantissimum Ducem meum, ipsi me offerendo ad labores, ad ærumnas, ad jacturam omnium

rerum, etiam vitæ, si hæc requirere videantur ejus gloria meorumque subditorum salus? O mi JESU, iterum me totum devoveo voluntati tuæ, ut disponas de rebus meis deque vita mea juxta beneplacitum tuum.

3° *Mansit* in utero matris totis novem mensibus, ut cæteri infantes, in obscurissimo et arctissimo carcere inclusus, ut dixit aliquis pius scriptor, membris omnibus constrictus, sensibus omnibus captus, simul perfectissimo rationis usu præditus, ut hunc statum violentum sentiret. Propter quod mirabunda exclamat Ecclesia : « Non horruisti Virginis uterum. » Cum Virgine Matre JESUM sic humiliatum adoremus, et simul firmiter statuamus libenter *manere* ex obedientia in officio a quo forsan abhorremus, quod non respondeat amoris proprii vel sensualis concupiscentiis.

Vere, ut notavit vir piissimus, in hoc Mysterio omnia plena apparent *humilitate* atque *dilectione*. 1° Ubique humilitas ! *Angelus* se projicit ad pedes Virginis, hominibus ignotæ atque de-

spectæ. *Maria* dicit se ancillam Domini eo momento quo declaratur Domini Mater. *Verbum* se facit servum plenequе se coram Deo exinanit. Quid *ego*, pulvis et cinis, homuncio miserrimus?

2° Ubique dilectio! Adeo diligit Deus mundum ut Filium suum unigenitum tradat immolandum. Adeo me diligit Filius Dei ut pro me se tradat. Quam sincere me diligere creditur Angelus, qui tanta cum alacritate agit cum Virgine de æterna salute mihi procuranda. Adeo me diligit Maria ut non dubitet fieri pro me Mater Dei, licet prævideat animam suam gladio doloris esse aliquando perfodiendam. Utinam et ego incipiam ita diligere Deum, Mariam et proximum, ut libenter pro eis quæcumque molesta, quæcumque ardua subeam. Utinam post meam mortem amici scribere possint in lapide tumuli cum veritate: « Dilexit, et tradidit semetipsum pro eis quos diligebat. »

CONSIDERATIO.

De timore Domini.

Sacerdos, sicut *dignitate*, ita *sapientia* inter homines eminere tenetur. Convenit igitur

ut inter *sapientes* conetur esse primus. Sed non potest oblivisci *initium sapientiæ* esse *timorem Domini.*

Observemus ante omnia triplicem esse timorem Domini, scilicet timorem *servorum*, timorem *famulorum*, timorem *filiorum.*

Quis *servus* dicitur timere dominum suum? Ille sane qui ideo implet sui domini voluntatem, ne subire cogatur *pœnas* quas servo delinquenti comminatus est dominus.

Quis *famulus* dicitur timere dominum? Ille qui timet ne, nisi obediat Domino, privetur *remuneratione* quam servo fideli pollicitus est Dominus.

Quis *filius* dicitur timere dominum suum, nempe patrem? Est ille qui ductus suo erga patrem amore, paratus est omnia pati mala potius quam vel in minima re illi *displicere.*

Est igitur veluti triplex gradus timoris Domini:

1^us^ gradus est servire Deo fideliter ut vitentur *pœnæ;*

2^us^ gradus est servire Deo ut obtineatur *remuneratio;*

3^us^ gradus est, omnium perfectissimus, servire Deo ut vitetur omnis Dei *displicentia.*

Fructus primi gradus est *horror peccati;*

Fructus secundi gradus est *spes præmiorum;*

Fructus tertii gradus est vehemens *desiderium* per omnia Deo placendi.

Incipiamus agere de *timore* quo timent Deum *servi*.

Sed an non infertur injuria sacerdotibus, si ad ipsos dirigatur consideratio de sorte servorum? Nonne sacerdos sua dignitate creditur superare, non solum conditionem servorum, sed et conditionem ipsorum regum, immo et Angelorum? Nonne vocantur in sacris litteris sacerdotes *dii* et filii *Excelsi* omnes? (Ps. LXXXI, 6.) Nonne dixit sanctus Ambrosius nihil in hoc sæculo excellentius, nihil sublimius sacerdotibus reperiri posse, et honorem sacerdotalem nullis posse comparationibus adæquari? Nonne dixit sanctus Ephrem : « Excedit quippe orationem atque intellectum, omnemque cogitationem donum dignitatis sacerdotalis? » Nonne a sanctis Patribus nuncupata est sacerdotum dignitas prorsus *divina*, infinita? Quam longe hæc distant a conditione servorum et mancipiorum!

Sed ecce, o sacerdos, licet *sacerdotes* simus, licet dicamur *filii Excelsi*, non tamen cessavimus esse filii hominum, et, ut tales, *peccatores*.

Quis sacerdos dicere audeat se non commisisse aliquando peccatum? O sane de cœlo illi clamaret S. Joannes : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » (I Joan., I, 8.)

Sumus ergo omnes peccatores et, si peccatores, ergo et *servi*, dicente Domino : «Omnis qui facit peccatum, *servus* est peccati.» (Joan., VIII, 34.) Pertinet igitur etiam ad nos *timor* quo timent Deum *servi*.

Ut dictum est, timor servorum consistit in hoc quod offendere Deum abnuunt, ne subire cogantur pœnas servis infidelibus reservatas. Has pœnas cognoscere debet servus, easque semper ante oculos habere, ut, si jam amor Domini eum in via recta retinere non valeat, saltem in ea retineatur *timore pœnarum*.

Quas igitur pœnas subiisti, o tu sacerdos, et quæ pœnæ te manent, si peccasti lethaliter, præsertim si peccasti sacerdotio insignitus et si permanes in statu peccati?

Multæ sunt, eædemque gravissimæ :

Prima est, amissio felicitatis sacerdotalis.

Secunda est, conscientiæ testimonium acerbissimum.

Tertia est, mors pessima.

Quarta est, judicium horrendum.

Quinta est, cruciatus in inferno durissimus.

Valde utile erit sacerdoti has quinque peccati pœnas attenta mente considerare.

Prima *pœna* quam subiisti, o sacerdos peccator, est *amissio felicitatis*, *pacis* et *lætitiæ*.

Ecce, antequam te constituisti *servum*

peccati, ambulabas in via Domini immaculatus ; vivebas in sancta simplicitate ; fidelem te exhibebas in omnibus ; meditabaris, pios libros legebas ; coronam B. M. V. quotidie pro affectu recitabas ; visitabas cum familiaritate amicum Tabernaculi ; recte fungebaris officio tuo sublimissimo ; in spiritu fidei et cum prompta voluntate obediebas legitimæ auctoritati ; amabilis eras, patiens, pius, bonus, jucundissima fruens libertate filiorum Dei ; spectaculum eras hominibus, Angelis et Deo ; cum divina complacentia aspiciebat te Pater tuus qui in cœlis est ; admirabili bonitate dirigebat te ipsius Providentia. Felix eras !

Sed eheu ! Quadam die consensisti tentationi ; primum peccatum mortale a suscepto sacerdotio commisisti, et unico momento pessumdata est tua felicitas sacerdotalis. Quam lugenda mutatio ! Oculis Dei jam non es objectum complacentiæ, sed abominationis. Nuda apparet angelis anima tua, omnibus bonis, exercitio tot virtutum per tot annos et per tantos labores congestis, prorsus spoliata, fœdissima fœditate dæmonis. Ubi jam pax, ubi cordis lætitia, ubi animi ardor ad labores, ubi pietas, ubi in Deo fiducia ? Amisisti omnia cum gratia, cum amicitia Dei. Nonne summa pœna hæc tanta mutatio ? Hanc pœnam subiisti, mi Frater. Merito luges, merito doles, merito

ingemiscis ; utinam luctus, utinam dolor, utinam gemitus sit ad pœnitentiam !

Altera pœna est *testimonium gravissimum conscientiæ.*

Continue arguit te conscientia tua quod peccando te fecisti *rebellem... injuriosum... ingratum... crudelem... stultum...* et *miserum.*

Rebellem te fecisti, quia cognoscebas Dei mandatum : cognoscebas minas denuntiatas, si mandatum violares ; cognoscebas promissam mercedem, si mandatum fideliter servares ; sciebas Deum præsentem, et tamen mandatum violasti ; practice exclamasti cum infernali audacia : « Non serviam ; » floccifacio tuas minas ; floccifacio mercedem tuam, floccifacio te ipsum. Nonne infinitæ malitiæ rebellio tantilli adversus talem ac tantum?

Injuriosum te fecisti ; ausus enim es in comparationem adducere Deum tuum cum infima et turpissima carnis satisfactione, et, quæ summa est injuria, hanc satisfactionem carnis Deo tuo prætulisti !

Ingratum te fecisti. Quidquid enim habes, donum Dei est. *Intellectus* tuus donum Dei est, et intellectu tuo usus es ad offendendum Deum. *Imaginatio* tua donum Dei est, et imaginatione usus es ad offendendum Deum. *Oculi tui* donum Dei sunt, et oculis tuis usus es ad offendendum Deum

tuum. Donum Dei sunt *manus* tuæ ; totum tuum *corpus* Dei est, et manibus tuis et corpore tuo usus es ad offendendum Deum tuum. *Cor* tuum donum Dei præcipuum, et corde tuo usus es ad offendendum Deum tuum. Nonne hæc ingratitudo summa est et infinitæ malitiæ ?

Stultum te fecisti. Nonne stultitia est pro minima et momentanea delectatione ad nihilum reducere omnia sua bona ; malle esse mancipium dæmonis quam filium Dei ; cœlo præferre infernum, et summam felicitatem et æternam commutare cum summa et æterna infelicitate ? Et hæc fuit tua stultitia.

Crudelem te fecisti erga *Creatorem*, subvertendo totum finem creationis ; crudelem erga *Salvatorem*, cujus sanguinem peccando pedibus calcasti ; crudelem erga *Spiritum sanctum*, cujus opus sanctissimum pessumdedisti.

Miserum te fecisti. Et re quidem vera, in initio fere mundi hæc peccatori dixit Deus : « Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque lætitia... servies inimico tuo... in fame et siti... et nuditate... et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. » (Deut., XXVIII, 47, 48.)

Utique servis inimico ; servis dæmoni, servis carni ; et imposuit tyrannus crudelissimus super cervicem tuam jugum ferreum,

jugum intolerabile. Sentis te imparem rumpendis vinculis tuis. O certe, sacerdos peccator, sacerdos impuritate laborans, fers in corde tuo quasi infernum anticipatum. Quid dico ? diabolus factus es, ait S. Ambrosius, diabolus *fœditate*, diabolus *malitia*, diabolus *infelicitate*. En pœna tua. Nonne gravissima ?

Hoc testimonio torquet conscientia *omnem hominem* qui commisit peccatum. Testimonio multo acerbiori te torquet utpote *sacerdotem*.

Objicit enim tibi tua conscientia tuum peccatum longe superare peccatum laici in eodem genere commissum. Profecto docent theologi sacerdotum peccata longe graviora esse peccatis aliorum, et ratione *personæ* quæ peccat, et ratione *status* ad quem pertinet, et ratione *peccati* quod committitur, et ratione *conversionis* difficilioris.

1° Ratione *personæ*. Sacerdos enim est *specialiter* Deo *consecratus*, unde ipsius peccatum habet speciem sacrilegii ; est etiam ad majorem sanctitatem vocatus, unde ipsius peccatum continet majorem inordinationem.

2° Ratione *status* seu *corporis* cujus membrum est. Etenim nocet suæ familiæ sacerdotali et apud fratres, et apud exteros, et apud ipsum Deum. Nocet suæ familiæ apud *fratres*, dando eis pravum exemplum ;

apud *exteros*, qui falso dictitant: Ab uno disce omnes; apud *Deum*, avertendo a corpore sacerdotali gratias speciales singularemque protectionem atque amicam providentiam.

3° Ratione *ipsius peccati*. Juxta divi Thomæ doctrinam, peccatum crescit intra eamdem speciem ex majore contemptu, ex majore ingratitudine, ex majore scandalo. Major fuit, o sacerdos, tuus Dei contemptus, quia major tua erat Dei ejusque mandati *cognitio*. Major fuit tua ingratitudo, quia majora et plura accepisti beneficia. Majus fuit scandalum quod dedisti peccando, quia dignior erat et major de tua virtute opinio aliorum.

4° Ratione *conversionis difficilioris*. In primis quia peccatum grave in sacerdote raro unicum est, maxime si transit in habitum, ac secum trahere solet multa sacrilegia. Deinde difficilior et rarior est ipsius perfecta pœnitentia, nam iis minime movetur de quibus ipse frequenter et frigide tractat. Hinc, quod sane lugendum, fit *induratio cordis* et *mentis excœcatio*. Ruina quæ de alto est, semper magna est. Quapropter merito comparare possumus sacerdotes labentes *torrentibus*, qui, ex alveo egressi, obvia quæque corripiunt et abripiunt. Similes etiam sunt *rupibus*, quæ semel a culmine avulsæ grandi impetu corruunt, et

corruendo se ipsas in præcipitio comminuunt, ita ut nec earum sisti valeat casus, nec ipsæ possint in pristinum statum attolli a casu, ut diximus in Recoll. II.

O sancte Chrysostome, dixisti aliquando hoc verbum quod me legentem perculit horrore: « Peccasti in sacerdotio? ergo periisti! » O certe noluisti dicere nullam superesse spem salvationis æternæ, sed significare voluisti sacerdotem peccatorem se exponere periculo pereundi in æternum. O sanctissime Doctor, obtine nobis gratiam peccatum *abhorrendi*, *timendi*, *vitandi* in æternum. Amen.

EXAMEN.

Circa timorem Domini.

I. Qui timet Dominum, pœnitentiam agit de peccatis anteactis et pro eis satisfacere conatur, ut pœnam evadat sive temporalem sive æternam. — An soleo *vere*, *sincere*, *ex toto corde dolere*, de peccatis meis etiam minimis, et an libenter arripio omnem occasionem *dignos* pœnitentiæ *fructus* faciendi? — An non negligo satisfacere divinæ Justitiæ vel per *eleemosynarum* largitionem, vel per voluntarium corporis *cruciatum*, vel per generosam tribulationum *acceptationem*?

II. Qui timet Dominum, omnia peccata gravia et levia pro viribus declinat. — An

ego nulla jam committo peccata gravia? An vito etiam peccata venialia deliberate commissa? An, ne displiceam Deo, vito peccata venialia minus deliberata? — Quis horror meus peccati? An tantus est ut mallem mori millies quam semel fœdari?

III. Qui timet Deum, recordatur minarum Dei tempore *tentationis*. — Quomodo soleo me gerere tentatus? An tunc cogito de Deo præsente? An resisto tentatori *prompte*, viriliter, *dextere*, eliciens actum amoris Dei quoties vehementius tentor?

IV. Qui timet Dominum, suscipit cum fiducia de manu Dei omnes vitæ tribulationes, omnem cladem, sive privatam, sive publicam. — An ego non facilius turbor, dejicior animo statim atque ingruit aliqua tribulatio? — An non murmuro adversus divinam Providentiam, quasi dubitem de bonitate, vel de sapientia, vel de potentia Dei mei?

V. Qui timet Dominum, vitat sedulo vel minimum mandatum Dei violare. — An saltem ex quo sum sacerdos, *omnia* mandata a me fideliter servantur? An nullum est in quo frequentius deficio?

VI. Qui timet Dominum, cavet a spiritu *præsumptionis*, quo quis eo audacius peccat quia credit Deum misericordem. — An forsan tacite ego deprehensus sum sic præsumere de divina misericordia?

VII. Qui timet Dominum, libenter et frequenter considerat ea quibus hic timor in animo conservetur et in dies augeatur. Talis est seria consideratio de justitia Dei... de severitate Dei... de gravitate peccatorum. — An non nimis abhorreo a recordatione æternarum veritatum? — An non rarius et frigidius instituo meditationem de morte, de judicio, de inferno, de infelicitate sacerdotis qui se constituit servum peccati?

O Domine, « confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui. » (Ps. CXVIII, 120.) Utinam cum veritate dicere possim : « Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis (infernalis), et concussa sunt omnia ossa mea. » (S. Bern., *Serm. de 5 Regionibus.*)

RECOLLECTIO VI.

CONTEMPLATIO.

De Visitatione B. M. V.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo inviserit Maria Elisabeth, ac S. Joannes in utero exsistens senserit Mariæ salutationem et gestierit.

2. Præl. Repræsentemus nobis locum in quo Maria et Elisabeth sibi occurrerunt.

3. Præl. Petamus gratiam imitandi virtutes quas Maria in sua Visitatione exercuit.

Ex consideratione mysterii Visitationis B. M. V. licebit sacerdoti colligere uberrimos fructus, dummodo illud cum fide et cum simplicitate voluerit inspicere.

Iᵘᵐ Punctum. — **Iter Mariæ.**

« Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. »

1° *Exsurgens.* Unde exsurgit ? E contemplatione, ex oratione, ex quiete jucundissima. Et quo vadens exsurgit ? *In montana,* in aspera, in petrosa, ut

visitet cognatam suam Elisabeth, ei congratulatura ob eximiam gratiam de qua sermonem injecerat angelus, eique humilia caritatis officia exhibitura.

Ergo nec dignitas summa, nec deliciæ contemplationis Mariam impedire potuerant, quin se totam accingeret ad laborem itineris quod pro gloria Dei et bono proximi suscipiebat.

Surgamus et nos a torpore acediæ, et a desideriis terrenis nos removeamus in quibus morando dormimus.

Ascendamus et nos ad *montana*, tendendo in altiorem vitam, et appetendo cœlestia.

Discamus etiam quomodo ab oratione nobis consurgendum sit ad *laborem*. Pius enim sacerdos *mixtam* ducere solet vitam, *contemplativam* scilicet simul et *activam*. Hæc autem duo vitæ genera ita se mutuo adjuvare debent, ut se adjuvisse dicuntur Maria et Martha. Ergo ferventer vacemus *orationi*, quando orandum est ; et non minus ferventer instemus *operationi*, quando est tempus operandi.

2° *Cum festinatione.* Non legimus

B. M. V. secum comites habuisse in via. *Sola* nominatur ab Evangelista, et simul dicitur ivisse *cum festinatione.* Nimirum etiam dum in publico erat, *solitudinem* quærebat, et *quam citissime* ex conspectu hominum aufugere satagebat.

Quam utile, o Maria, nobis hic exhibes perfectionis documentum! Ecce nobis sacerdotibus frequenter versandum est inter homines, ita ut raro *soli* inveniamur : et tamen solitudo nobis necessaria est, ut Deus ad cor nostrum loqui possit ; sed tu nos doces quamdam esse solitudinem non solum *corporis,* sed etiam *cordis;* et hac nobis *semper* et *ubique* frui licet per exercitium *præsentiæ Dei.*

Discamus etiam *festinare* ad bona opera, *accelerando,* et quidquid possumus instanter *operando.* Bonum enim opus nunquam differendum est, ne forte aliquo casu interveniente impediatur. Quapropter aureum nobis dat Deus hoc consilium : « In omnibus operibus tuis esto velox.» (Eccli., XXXI, 27.)

IIum PUNCTUM. — **Maria salutat Elisabeth.**

« Et salutavit Maria Elisabeth. »

1° Prior salutat Maria Elisabeth, superior inferiorem.

Hinc docemur fratres prævenire salutatione. *Urbanus* esse debet præ cæteris sacerdos ; sed urbanitas ipsius sit *sancta* et in loquela, et in gestu, et in veste, et in toto habitu, sive sedeat, sive mensæ accumbat. *Ubique* et in *omnibus sacerdos* sit oportet, non immemor se esse filium familiæ non vulgaris, sed *regiæ*, patrem habere Regem regum et Matrem reginam Angelorum. Sedulo igitur vitabit sacerdos quidquid huic sanctæ urbanitati adversari poterit, et nominatim, ut vult S. Paulus, « Omnem scurrilitatem, quæ ad rem non pertinet. » (Ephes., v, 4.)

2° Ex salutatione B. V. M. ingentem concepit lætitiam S. Elisabeth, et filius ejus præ gaudio in utero exsultavit. Tantæ enim suavitatis est salutatio Mariæ, tantæque efficaciæ, ut necessario pariat gaudium et lætitiam audientibus. O utinam nos identidem *salutare*

dignetur optima Mater in oratione ! Et certe nos gestiet salutare, si videat in oratione vigiles, ardentes, humiles, vere pios atque devotos.

Etiam optandum est ut nostra salutatio ad proximum directa, efficaciam habeat et utilitatem. Talis autem erit nostra salutatio, quæ ex pectore procedat caritate inflammato. Insit nobis vera caritas, et erit proximo utilis nostra salutatio.

3° Joannes, sentiens Domini præsentiam, gaudet vehementer, et præ gaudio in matris utero exsilit, et quem lingua et voce non potuit, animo exsultante et motu salutavit ; ut jam tunc Jesu præcursor exsiliens ejus adventum evangelizaverit, quasi intra viscera matris clamando : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. »

O sancte Joannes, obtine nobis a Jesu per Mariam scintillam istius ardentissimi zeli quo, nondum natus, jam in utero Matris æstuasse videris. Etiam nobis obtine, ut, si forsan virium defectu vel alia quacumque causa erimus impediti quin Jesum *voce* prædice-

mus, saltem nostræ sacerdotalis lætitiæ significatione, aliis probemus quam bonum sit, quam jucundum toto corde Jesu adhærere eique fideliter famulari. Hæc enim prædicatio *tacita* non caret eloquentia nec vi animos persuadendi.

IIIum Punctum. — **Verba Elisabeth.**

« Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth... repleta est Spiritu sancto... et exclamavit voce magna: Benedicta tu inter mulieres... Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?... Beata quæ credidisti. »

Hæc dicendo tria præstat Elisabeth: *laudat laudanda*, se *humiliat*, *confirmat* bonas Mariæ dispositiones.

Quis non videt sacerdoti in sua sacerdotali vita multas occurrere occasiones in his tribus imitandi Elisabeth?

1° Quotiescumque aliquid frater noster egit feliciter, hoc non prætereamus silentio, ex invidia qua forsan laborat animus noster; sed vel uno verbo eum gratulemur de successu, et forsan hæc nostra gratulatio jucundior erit fratri quam omnis alia laus aliunde accepta.

Cavendum tamen est ne *nimii* simus in laudando, ita ut nunquam demus aliis ansam nos accusandi de spiritu adulationis.

2° Quod si quid ipsi feliciter fecimus, nolimus nos ipsos laudare, sponte et frequenter de re feliciter facta sermonem injiciendo, gratulationem emendicando, omnique industria in admirationem factorum nostrorum alios provocando. Non licet nobis oblivisci *propriam laudem fœtere.*

3° Incredibile est quam felix sit quamque potens ad gloriam Dei et salutem animarum promovendam, ille sacerdos qui sciverit opportune suum fratrem in bene cœptis confirmare, stimulare et omni quo potest modo adjuvare. Sed proh dolor! inveniuntur nonnulli qui, dæmonum facti imitatores, omni conatu student *impedire* quidquid alii ex zelo apostolico in sua parœcia aggrediuntur, eos arguendo de imprudentia, de imperitia, de temeritate, de superbia et ambitione, omnia in crisim vocando, et si quid minus feliciter acciderit, irridendo et de hoc infelici casu publice gaudendo. Quam multi egregii

operarii, propter talia animos despondentes, ad nihilum redacti fuerunt!

IV^um^ PUNCTUM. — **Verba Mariæ.**

Quid Maria ad hæc?

Non turbatur, minime inflatur animo, sed excitatur ad laudandum Deum suum. Non quidem negat se esse benedictam ac beatam, sed omnem refert gloriam *Deo*, et non agnoscit in se nisi *suam vilitatem*, « quia respexit humilitatem ancillæ suæ. »

Quis verbis æquare posset admirabilia *cordis* Mariæ *sensa* quæ in hoc sublimi gratitudinis cantico expressa intelliguntur! Profecto nihil quod non redoleat ardentissimum amorem et humilitatem profundissimam.

Deinde amabilissima virgo tres integros menses transegit in hac felici Zachariæ domo, se totam officiis caritatis impendens, et singulos, quibuscum versabatur, suo jucundissimo consortio recreans atque ineffabili replens felicitate. Petamus humiliter ut visitet domum nostram, omnes nos lætificet et sanctificet, nobiscum maneat, non per

tres menses, sed semper, ut cum ipsa nobis contingat vivere, non solum in tempore sed per totam æternitatem. Amen.

CONSIDERATIO.

De messe spirituali.

« Quæ seminaverit homo, hæc et metet. » (Gal., VI, 8.)

« Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » (II Cor., IX, 6.)

« Messis quidem multa, operarii autem pauci. » (Matth., IX, 37.)

Est igitur analogia quædam inter hanc, quam ante oculos habemus, messem hujus terræ, et messem longe sublimiorem qua congeruntur bona pro æterna vita. Utentes hac evangelica imagine, tria utiliter indagabimus.

1° Quomodo paretur *mala* messis;

2° Quomodo paretur *bona* messis;

3° Quinam animi sensus esse debeant bona messem parantis.

I. *Quomodo paratur mala messis?*

1° Jaciendo nimirum *malum semen* in terram ;

2° *Bonum* quidem *semen*, sed in *malam terram ;*

3° Bonum semen in bonam terram, sed *modo indebito* et *tempore inopportuno ;*

4° Denique quando *deficit* vel *pluvia* vel *calor conveniens.*

In ordine spirituali res eodem prorsus modo se habet.

Malam parat messem omnis sacerdos

1° Qui facit actiones moraliter pravas, ut sunt peccata et voluntariæ imperfectiones ;

2° Qui bonas actiones facit, sed cum mala voluntate, v. g. concionatur, docet scholam vel aliquid aliud facit *ex vanitate ;*

3° Qui parat concionem dum meditari deberet, vel legit etiam libros pios, sed quando ægrotos visitare deberet ;

4° Qui negligit media quibus obtinetur ros cœli et ignis solis, exercitia scilicet spiritualia.

II. *Quomodo paratur bona messis ?*

1° Seminando *bonum* semen in *bonam* terram, tempore *opportuno.* Ergo vitentur peccata; conservetur bona voluntas et recta sit intentio ; ordo bene servetur in omnibus, juxta aureum hoc adagium : « Age quod agis. »

2° Continue et sedulo *invigilando* ut *eradicentur herbæ malæ.* Ergo necesse est ut cum maxima cura instituatur examen conscientiæ quotidie, et singulis hebdomadis confessio seria et fervens, et singulis annis confessio quædam generalis.

3° Adhibendo *ferrum ;* nempe, quando crusta terræ durior est, ita ut aer permeare

non valeat et pervenire usque ad humum infimam, adhibentur *rastri* quibus *terra mota* permittit ut aer ad plantam liberius et efficacius afferatur. In ordine spiritualitatis, rastri loco sunt lectio spiritualis, et recollectio menstrua.

4° Non omittendo utilem *stercorationem*. In ordine morali stercoratio utilis vocatur omnis *reprehensio*, omnis *humiliatio*. Quam merito dixit S. Bernardus : « Stercora hæc plane vilia ad adspectum, sed ad fructum utilia ; non refugiat hanc fœditatem, qui fecunditatem desiderat ; siquidem ex *de*formi stercorum acervo qui portatur in agrum, *formosus* surget acervus manipulorum, qui reportabitur ex agro. » (Serm. 2 de SS. Pet. et Paul.) Propterea S. Franciscus dedecora et probra expetebat, laudes declinabat. « Malebat, ait S. Bonaventura, de se vituperium audire quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. »

5° Orando et pium se erga Deum probando, ut Deus dignetur impertiri pluviam gratiarum et calorem devotionis.

III. *Quinam animi sensus esse debent bonam messem parantis ?*

Hos pulcherrima imagine indicat Psalmista, dicens : « Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua : venientes autem

venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. » (CXXXV, 5, 6.)

Ergo *euntes ibant*, i. e. vere progrediebantur. Sic nobis progrediendum est usque ad horam mortis ; sed necesse est ut progredientes progrediamur, veros et sanctos faciendo *progressus* in omni virtute, quod profecto supponit conatum et laborem.

Et *flebant*. Non mirum fletum esse in lacrymarum valle : erit igitur dolor, erunt repugnantiæ, erunt gemitus, erunt lacrymæ. His tamen non obstantibus, *ibant mittentes semina sua*. Sic nullus nostrum desistere potest ab officio, propter occurrentes ærumnas, propter naturalem repugnantiam aut corporis fatigationem.

Venientes autem venient cum exsultatione. Quam beati quod iverunt et fleverunt, et semina miserunt ; *portant enim manipulos suos*.

Sic etiam pro nobis omnia transibunt et citissime transibunt, sed manebit merces æterna! O quam læti erimus tempore messis, quod pro Deo abjecerimus desideria sæcularia, quod laboraverimus strenue, quod tentationes superaverimus ! Concludamus ergo cum Apostolo : « Bonum facientes, non deficiamus ; tempore enim suo *metemus* non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. »

(Gal., VI, 9, 10)

EXAMEN.

Circa decorum sacerdotale.

Nusquam immemor esse potest sacerdos suæ *sublimissimæ* dignitatis. Necesse igitur est ut sedulo vitet quidquid intelligeret minus *decere* vel *aliis displicere*. Quædam autem minus decentia et aliis displicentia profluunt vel ex *corporis habitu*, vel ex *ætate* plus minus provecta.

I. *Ex corporis habitu.*

1° Si *sanguineus* sum, an non videor *sensualis ?... vanus ?...* plus æquo indulgens *distractionibus ?... propensus* ad *affectiones humanas ?...* erga mulieres *blandior* et nimia utens familiaritate ?

2° Si *biliosus* sum, an non videor in appetendis honoribus *immodicus ?... violentus* affectu, sermone, gestu ?... *arrogans ?... invidus ?...* dissimulatus ?

3° Si *nervosus* sum, an non videor *offensioni pronior ?... inæqualis ?... suspiciosus ?...* semper inhians animi permotionibus ?

4° Si *lymphaticus* sum, an non videor *ignavus* atque *timidus ?... amantior commodorum ?... incuriosus ?... languidus ?...* atque in omnibus *remissus ?...* nimium *lentus* et *torpens ?...* in commercio hominum *insipidus* et *injucundus ?*

5° Si *melancholicus* sum, an non videor nimis *inquietus ?... diffidentior ?... infixus cogitationibus ?... proprii judicii tenacior ?...*

injuriarum persequentissimus ?... chimæris me nutriens ?

II. *Ex ætate plus minusve provecta.*

1. Si *junior* sum, an non videor laborare animi *levitate* in modo loquendi, in modo agendi aut conversandi ?... An non *avidior* sum recreationis, excursionis, confabulationis et ludi ?... An non abhorreo a studio rerum sacrarum ?... et ab omni seria et pia conversatione ?... An non effundor in *cachinnos ?*... An non videor esse facetiarum et scurrilium *amator ? irrisor* senectutis ? Superiorum facta *ad crisim* vocans ?

2° Si *senior* sum, an non prolabor in defectus quosdam non raro inhærentes senectuti, ut sunt : *tristitia... parcimonia* et *illiberalitas...* squalor quidam, *apathia... diffidentia... singularitas... imaginarius morbus... nimia cura* conservandæ valetudinis... *insipida* earumdem historiarum *repetitio... laus præteritorum, vituperatio præsentium...* intra missam *consuetudo* alta voce dicendi quæ submissa voce dicenda sunt... inter orandum *frequens* et aliis molestus *gemitus ?*

O mi Deus, da mihi gratiam me ostendendi semper et ubique *alterum Christum*, modo *me habendi*, modo *loquendi*, modo *agendi*, ita ut omnes qui me vident vel audiunt, inde ædificentur ad majorem tuam gloriam et ad utilitatem animarum. Amen.

RECOLLECTIO VII.

CONTEMPLATIO.

De Purificatione beatæ Mariae Virginis.

1. Præl. Videamus Mariam et Joseph deferentes puerum JESUM ad Templum ut Eum sistant Patri æterno.

2. Præl. Petamus gratiam nos ipsos offerendi Deo oblatione perfecta.

I^um^ PUNCTUM. — Sanctà Familia.

1° Maria et Joseph, cœlitus edocti, exhibent jam in hoc mysterio genuinum JESU spiritum.

Spiritus JESU est spiritus *paupertatis*. Ecce offerunt parentes ejus, non *agnum*, qui est munus divitum, sed par turturum aut duos pullos columbarum, quod est munus pauperum.

Spiritus JESU est spiritus *obedientiæ*. Adamussim obediunt parentes legi mosaicæ, stricte servantes quæcumque hac lege præscripta sunt.

Spiritus JESU est spiritus *humilitatis*. Apparet Joseph oculis hominum, non ut filius regum, splendide vestitus, sed ut humilis faber lignarius. Apparet Maria, non ut Virgo virginum, non ut

immaculata, sed ut una de mulieribus quæ indigent purificatione.

Spiritus Jesu est spiritus *pietatis*. Inspice quomodo, animis recollectis, iter faciant Maria et Joseph, quantaque pietate sanctis cæremoniis intersint. Quam fervens eorum oratio!

Spiritus Jesu est spiritus *puritatis*. Quid purius Maria? Et tamen purissima adhuc vult purificari, nempe nix, ut dixit pius scriptor, vult dealbari, sol illustrari.

An in te, o sacerdos, omnia, ut in Joseph et Maria, spiritum Jesu redolent? An cogitationes tuæ, an judicia tua, an verba tua, an facta tua, talia sunt, ut procedere credantur ab homine qui sibi serio applicuit verba Jesu : « Beati *pauperes spiritu*? » An talis est tua *obedientia* erga legem Dei, erga præcepta Ecclesiæ, erga statuta diœcesana, erga præscriptiones superiorum, ut merito de te dici possit, quod S. Paulus dixit de Jesu : « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? » Quænam tua *humilitas* in prosperis, quæ in adversis? An non in

prosperis jactare soles temetipsum, et videris hominum plausus cum admiratione emendicare ? An non in *adversis* apparere soles tristis, viribus prostratus, animo dejectus ? An accusatus vel a superiore reprehensus, non statim erumpis in excusationes ? An vel semel in vita imitatus es *silentium Jesu triumphale ?* An splendes inter parochianos tua pietate ? Dum vident te litantem in altari, vel divino Officio fungentem, vel sacramenta administrantem, an coguntur te aspicere tamquam angelum res sanctissimas cum Deo tractantem ? An etiam ut angelus haberis tua *puritate ?* Utinam de te dici possit quod dixit Scriptura de Sponso: « Pascitur inter lilia. » (Cant., II, 16.) Lilia sunt quæcumque casta, quæcumque pura, quæcumque munda, sive in *mente*, sive in *oculo*, sive in *ore*, sive in *corpore*. An talia tua sunt ?

2° Intelligere est quomodo tres illæ personæ, quas propter exiguitatem conditionis et propter paupertatem vestium nullus homo dignatur aspicere transeuntes, convertant in se oculos totius

curiæ cœlestis, et excitent admirationem angelorum.

Sic tu, o sacerdos, forsan transis per hunc mundum quin homines, propter exiguitatem talentorum, vel propter muneris humilitatem, dignentur te aspicere. Sed si magnus es virtute, si magnus castitate et dilectione, etiam angelorum movebis admirationem.

3° Conspiciamus piissimis oculis Puerum JESUM modo inter brachia Matris benedictæ, modo inter brachia Joseph modo inter brachia Simeonis, *offerentem se* sponte Patri suo æterno in *victimam* qua mundus salvetur. Hæc quidem oblatio quam serio facta, quam serio accepta, quam prompta, quam generosa ! Sine dubio Beata Virgo semetipsam cum Filio in holocaustum obtulit. Quam gratum, quam acceptum Deo utriusque sacrificium !

O mi JESU, cum suscepi sacerdotium, mihi etiam licuit me tibi offerre. Oblatio mea *prompta* fuit, et, ut spero, *generosa* et *serio* facta ; sed quoties abhinc visus sum aliquid demere ex iis quæ tibi ob-

tuleram! Utinam mea, sicut tua, oblatio deinceps sit *irrevocabilis !*

II^um^ PUNCTUM. — S. Simeon.

Consideremus ipsius *personam, opera* et *verba.*

1° *Persona.* « Et homo iste *justus* et *timoratus*, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo. » (Luc., II, 25, 26)

Justus dicitur et *timoratus*, immo justus *quia* timoratus. Qui enim timet Deum, nihil negligit quo vitia expurget, et virtutes omnes, id est justitiam, consequatur. — Comparemus nostram justitiam, nostrum timorem Domini, nostram spem futuræ gloriæ, item dona fructusque Spiritus sancti cum donis Simeonis. Agnoscamus nos procul abesse ab istis virtutibus, atque anhelemus ad *Spiritum sanctum*, ejusque *dona* et *fructus* singulos statuamus frequenter meditando postulare.

2° *Opera.* « Venit *in Spiritu* in templum » (Luc., II, 27), et quam *prompte* et quam *libenter !* — Obedit inspirationi Spiritus sancti. — Accepit *mer-*

cedem suæ fidelitatis et promptitudinis. « Accepit Jesum in ulnas suas.» (Luc., II, 28.) Quanta cum reverentia, quanto cum amore, quantis fruens deliciis !

Habes profecto, o sacerdos, quod imiteris. Ad exemplum S. Simeonis, quotidie, *tempore statuto*, adsis in ecclesia ; obedi Spiritus sancti inspirationibus quas ab ipso percipis in meditatione ; præsertim Jesum tracta in altari ea fide, ea reverentia, ea pietate qua Eum amplectendo tractavit sanctissimus senex.

3° *Verba. a)* « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » (Luc., II, 29.) O felix nimirum, tu Simeon, qui jam contemnens gaudia hujus mundi, unice desiderabas videre oculis tuis Jesum : « Quia viderunt oculi mei salutare tuum.» — Ecce nos sacerdotes quotidie fixos habemus oculos in sacram Hostiam, in ipsum Jesum, et tamen non fruimur pace, non sumus sorte nostra contenti; et dum oculi intuentur Jesum, cor longe abest, innumeris immersum distractionibus, volvens et nutriens

aliorum gaudiorum desideria. O si haberemus fidem !

b) « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.» (Luc., II, 34.) Prædicit S. Simeon fore ut in Christum alii non credentes offendant vitio suo, cadant et damnentur, quales plerique scribarum et pharisæorum fuerunt; alii credentes resurgant, hoc est, a peccatis liberentur. — Vide, o sacerdos, ne tibi sit JESUS in ruinam et condemnationem, dum JESU sacerdos parum quæ JESU sunt curas, et tam parum sacerdotis jura exples. Vide etiam ne tu, vitio tuo, subditis tuis aliquo modo in ruinam sis, eos negligendo, eos non sufficienter virtutum exemplis juvando.

c) « Et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » (Luc., II, 34-35.) Quis sacerdos non his verbis stimulatur quam maxime ? Vita nostra, si genuini fuerimus sacerdotes, labor est et martyrium. Quot contradictiones, etiam aliquando a fratribus, nobis obveniunt, statim ac statuimus nos totos impendere in gloriam Dei et in utilitatem animarum! Quoties

cor nostrum sacerdotale gladio doloris confossum fuit! Sed mysterium, quod nunc contemplamur, docet nos luculenter Deum solitum esse contradictionibus et gladiis doloris remunerare eos qui, ut Jesus et Maria, liberali et generoso animo sui ipsorum oblationem Deo fecerunt. Deus enim nihil melius dare potest in hac vita suis dilectis quam *crucem* et *gladium*. Hinc summa æstimatio, hinc amor tribulationum.

III^um^ Punctum. — **S. Anna prophetissa.**

1° *Persona*. « Vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor. » (Luc., II, 36, 37.) His verbis laudat Evangelista Annæ castitatem virginalem, conjugalem et vidualem. Semper casta, et, ut talis, digna quæ aliquando admitteretur ad videndum Deum in terris. — Cogitet sacerdos se viriliter pugnare debere contra rebellionem carnis, qui hostis insidiatur castitati. Feliciter autem pugnabimus contra hunc hostem, si ardenter Christum amemus, qui amore casto vult amari, et

frequenter invocemus Spiritum sanctum, cujus duo ultimi fructus numerantur *continentia, castitas.* (Gal., v, 23.)

2° *Verba.* « Confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus. » (Luc., II, 38.) Ecce mulier, annis provecta valde, loquitur de illo amabilissimo Infantulo, quem firmiter credit esse Messiam. Et sane non frigide de illo loquebatur, sed toto pectore et cum ardenti desiderio Eum aliis notum faciendi. O mi Jesu, erubesco quod ego sacerdos, qui non solum video te quotidie, sed manibus teneo et in corde commorantem possideo, tam parum, tam raro, tam gravate de te loqui soleo in concionibus, in confessionali, in colloquiis privatis. Notemus sanctam viduam prius locutam esse cum Deo, et postea de Deo cum aliis. Faciamus ergo cum David apud Deum tale propositum: « *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo;* deinde post meditationem et exercitia, toto corde facta, aliis *narrabo omnia mirabilia tua.* » (Ps. IX, 2.)

3° *Opera.* « Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens

nocte ac die. » (Luc., II, 37.) Recordabatur Anna apud Tobiam scriptum esse « *bonam esse orationem cum jejunio*, et *eleemosynam magis quam thesaurosauri recondere.* » (Tob., XII, 8.) Quam beatus sacerdos, cujus vita est vacare obsecrationibus et exercitiis spiritualibus nocte et die, et per pœnitentias in victu expugnare *rebellionem sensuum*, nominatim *gustus ;* denique inter proximos facere opera misericordiæ *corporalia* et *spiritualia*. Utinam nobis ecclesia sit veluti domicilium, ut erat templum Dei sanctæ prophetissæ Annæ !

CONSIDERATIO.

De aula Herodiana.

Aula Herodiana adamussim referre videtur mundanorum hujus præsertim temporis societatem, dum Familia sancta Salvatoris nostri optime quemcumque cœtum famulorum Dei repræsentat. Duo igitur inquiramus : Quid scilicet egerit Herodiana familia ?... Quid sancta Christi Familia ? Hæc inquirendo facilius intelliget sacerdos quid, divina Providentia innixus, præstare debeat, cum tristia, tristibus his temporibus, oculis ipsius in diem objiciuntur.

I. In aula Herodis homines conspicimus rebellione carnis sensuumque subactos, et nihil præter id quod placet amori proprio quærentes. Magorum pietas eos sollicitos facit et conturbat: « Herodes enim audiens, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. » Timent enim ne ille quem natum esse regem Israel denuntiant Magi, exemplo suo et auctoritate aliquando subtrahat ipsis materiam et occasiones cupiditates suas carnales et mundanas explendi. « Noluerunt enim intelligere ut bene agerent. » (Ps. XXXV, 4.) Hinc magnum conceperunt odium erga Familiam Nazarethanam. Quid tamen hac Familia innocentius? Obscura est, pauper, victu exiguo et statu humili contenta. Hanc nihilominus odio infensissimo persequitur familia Herodiana, et brevi eo usque crevit odium regis et invidia, ut inaudita crudelitate innumeros trucidaverit Innocentes, et innumeras familias impleverit luctu et desperatione. Neque tamen ignorant Infantulum quem occidere intendunt, a Prophetis prænuntiatum esse regem, cujus regni finis esse non debeat, et proinde nullam humanam sævitiam, nullam potestatem Messiæ auferre posse quod Deus omnipotens ipsi in hæreditatem dare constituit. Sed scimus omnes, propria experientia, *intelligentiam* deesse ubi dominatur *passio.*

Sæviit igitur Aula Herodis, Innocentes trucidavit: visa est sibi feliciter agere, et tamen regnavit Infantulus, triumphaverunt Innocentes, Herodes autem et tota Jerosolyma cum illo, æterna infamia notati, *transierunt* ut cætera omnia, et cum omnibus omnium temporum impiis exclamare coacti sunt, præ angustia spiritus gementes: « *Ergo erravimus !* »

Nonne idem prorsus nostris diebus fieri videmus ? Mundana societas, quæ tota est in explendis carnalibus suis desideriis, infensissimo odio ducitur in quamcumque familiam, quæ sanctæ Familiæ speciem præ se gerere conspiciatur. Odio persequitur Ecclesiam Christi, in eam multoties jam sæviit, et magis in dies velle se sævire non obscure profitetur. Sed iterum transibit *hora tenebrarum, et* « *Dominus regnabit in æternum et ultra !* »

II. Quid fecit sancta Familia Salvatoris, dum in eam irruit Herodis persecutio? Non miratur talia fieri ; non dejicitur animo; non se tradit nimiæ tristitiæ ; sed totam se gubernandam dat Dei sapientissimi potestati. Tetendit in exsilium; mansit in exsilio; in eodem constituta, tranquilla mente vacabat quotidianis officiis, in paupertate summa, in castitate perfectissima, in promptissima et absoluta obedientia *ad nutum* Patris æterni. Interea orabat pro perse-

quentibus se, bona parabat eis, et vero bono, id est Dei dilectione, plenissime fruebatur.

Eadem et nos sacerdotes faciamus oportet. In exsilio sumus constituti : quid enim aliud est hæc vita tot ærumnis immixta, tanta impiorum oppugnatione turbata ? Talia non miremur ; non animo dejiciamur, non nimia nos percelli sinamus tristitia, sed « spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulationibus patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, benedicentes persequentibus nos, gaudentes cum gaudentibus, flentes cum flentibus » fruamur plenissime dilectione Christi. Amen.

EXAMEN.

Circa actionem gratiarum post missam instituendam.

1° An mihi persuasum est *actionem gratiarum* esse exercitium summi momenti, Deo gratissimum, mihi utilissimum, pro gloria Dei et pro salute animarum fructibus uberrimum ?

2° An non sub levissimo prætextu hoc exercitium *omitto*... *decurto*... in aliud tempus *differo ?*

3° An celebrata missa, dum me vestibus exuo sacerdotalibus, conservo animi recollectionem et pie recito quæ in missali sacerdotibus recitanda proponuntur ?

4° An non e contrario statim ac veni ad sacristiam, incipio me tradere distractionibus, confabulando, jocando et ridendo, de negotiis peragendis cum aliis tractando?

5° An huic sanctissimo exercitio *sufficiens* soleo tribuere *tempus?*

6° An actionem gratiarum instituo *loco* congruo, et *corporis situ* convenienti?

7° An conatus adhibui ad comparandam mihi aliquam *methodum*, genio meo et meæ pietati conformem?

8° An non assuevi divino meo Hospiti ea *unice* dicere quæ leguntur in libello precum, quin unquam *ipse* et *sponte alloquar Eum* cum sancta familiaritate?

9° An non mihi bonum esset eam adhibere identidem methodum facillimam qua multi sacerdotes, religiosi, laici cum magno fructu utuntur, eam scilicet qua successive eliciuntur actus nonnulli JESU sine dubio gratissimi; nempe *adorare*, *gratias agere*, *petere*, *offerre donum*, *renovare proposita?* Litteræ quibus constat vocula *ardor* eos in memoriam facile revocabunt, gallice: *Adoration*, *Remerciement*, *Demande*, *Offrande*, *Résolution.*

O mi JESU, noli permittere ut per tempus pretiosissimum quo te in corde meo possideo, tibi creem *tædium* meis distractionibus, mea taciturnitate, mea tepiditate. Utinam toto hoc tempore flammis arderem seraphicis!

RECOLLECTIO VIII.

CONTEMPLATIO.

De Fuga D. N. in Ægyptum.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo Angelus apparuerit S. Joseph eumque jusserit accipere Puerum et Matrem et fugere in Ægyptum, et quomodo hoc jussum S. Joseph impleverit.

2. Præl. Nobis repræsentemus viam, quæ ducit in Ægyptum per desertum, et speluncam in qua S. Familia degisse traditur.

3. Præl. A Deo petamus gratiam intime cognoscendi JESUM in sua Fuga, ut eum ardenter diligamus et fideliter imitemur.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — **Personæ.**

1° *Herodes.*

Dives erat, gloriosus, sed *vanus* et potentiæ cupidissimus. Passus est in se crescere absque freno *passionem dominantem*, atque hæc eum fecit miserum, inquietum, stolidum et crudelissimum. Hinc discamus quam necesse sit ut passionem nostram dominantem

viriliter, constanter et seriis conatibus oppugnemus ; secus nos ducet ad pessima. An cognoscere conor hanc meam passionem, eamque jam debilitavi, si nondum radicitus exstirpavi ?

2° *Innocentes.*

Oculis hominum sors puerorum videbatur lugenda, visa est oculis Angelorum felicissima. Et re quidem vera quod videbatur his parvulis esse clades, eis fuit principium felicitatis. Si propter Filium Dei non fuissent perempti, quid de iis factum fuisset ? Forsan in æternum periissent ; et ecce nunc sunt in cœlo fruentes perenni felicitate. — Hinc discamus adversa hujus temporis aspicere oculo fidei, eaque patienter tolerare, quod, diligentibus Deum, *omnia* cooperentur in bonum.

3° *Sancta Familia.*

Pauperrima est, abscondita, Deo gratissima, sed multis tribulationibus obnoxia. — En *Joseph*, vir innocentissimus, ex quo renuntiatus est pater nutritius Jesu, quot habuit labores, sollicitudines, ærumnas ! En *Maria*, ex quo facta est Mater Dei, quot et, ipsa

sustinendas habuit tribulationes! En JESUS, «pauper et in laboribus a juventute.» Vix natus jam quæritur ad necem et maturata fuga opus est.

Sed mittitur ad Eos Angelus, monens Eos de periculo, Eosque periculo subtrahens. — Hinc intelligere est Dei providentiam habere veluti duplicem effectum erga electos, scilicet una ex parte eos subjicit multiplici probationi, sed ex altera, paternam circa eos exercet vigilantiam, eosque admirabili protectione eripit ex omni periculo. Propterea dixit Propheta: «Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.» (Ps. XXXIII, 20.) Hinc discamus in omni re adversa omnem sollicitudinem conjicere in sinum Dei, committentes nos totos ipsius infinitæ sapientiæ gubernandos.

II^um PUNCTUM. — **Verba.**

«Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.» (Matth., II, 13.) *Quis* loquitur? Non Deus, sed Angelus. Solet enim Deus uti suis creaturis ad notam faciendam

hominibus suam voluntatem. — Utinam frequentius recordaremur esse juxta nos *Angelum*, qui omni momento paratus est nobis præstare quodcumque officium caritatis. Utinam cum magna fiducia ad hunc amicum recurreremus in omni nostra necessitate! *Cui* loquitur? Non Jesu, non Mariæ, sed Joseph. Reveretur Deus ordinem quem ipse constituit, ut scilicet per *caput* familiæ ad cætera membra dimanent ipsius jussa. — Utinam haberemus semper Superiores nostros ut divinæ erga nos providentiæ instrumenta!

Quid dicit? Non grata sane, sed aliquomodo dura et difficilia, absque præparatione prævia, et brevissime prolata. Attamen hæc Maria et Joseph accipiunt cum summa reverentia. An non facilius conquerimur nos de modo quo superiores nobis suam denuntiant voluntatem? Utinam tunc uteremur silentio triumphali! Majus esset nostræ obedientiæ meritum.

IIIum Punctum. — **Opera.**

1° Admiremur *obedientiam* S. Joseph.

Perfecta est, et quoad substantiam et quoad modum. Propterea S. Evangelista utitur verbis quibus Angelus usus erat: « Qui consurgens, accepit Puerum et Matrem ejus nocte et secessit in Ægyptum.» (Matth., II, 14.) Discamus obedire superioribus nostris, etiam in re difficili. Non raro talis obedientia occasio est maximarum gratiarum et initium magnæ sanctitatis.

2° Contemplemur *laborem itineris.* Per desertum... de nocte... cum parvulo... omnibus domi relictis... fugerunt Maria et Joseph, et tamen tranquilli sunt... et æquo animo omnia sufferunt... libenter pro hoc parvulo! Dicet aliquando Jesus de parvulis : « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » (Matth., XXV, 40.) Quantus inde mihi sacerdoti stimulus ad curandos maximo zelo parvulos meæ parœciæ, sive eos docendo doctrinam christianam, sive eos præparando rite ad primam communionem, sive prospiciendo eorum educationi.

3° Contemplemur *vitam* quam duxerunt in *exsilio.*

Quanta paupertas !... Quanta solitudo !... Sed ibi est JESUS, et ubi JESUS, ibi paradisus. Sunt sacerdotes qui habeant munus exiguum in loco quem considerare solent tamquam *exsilium*, et non immerito quidem. Sed convertant oculos ad *Tabernaculum*, et statim intelligent se, licet exsules sint inter sacerdotes, esse felicissimos propter continuam præsentiam Illius cujus amicitia ipsis utilior est quam omnis amicitia qualiscumque humana. Utinam hoc intelligerem, o mi JESU ! Beatus essem ubique locorum.

CONSIDERATIO.

De mala sacerdotis morte.

In materia quam tractandam assumpsimus occurrunt necessario *læta* et *tristia*. Visum est prius *tristiora* proponere, ut postea proponantur *lætiora*. Quapropter incepimus considerare *pœnas* quibus obnoxius est sacerdos qui, oblitus timoris Domini sui, se facit *servum peccati*.

Vidimus in præcedenti recollectione primam pœnam sacerdotis esse *suæ felicitatis sacerdotalis jacturam ;* alteram pœnam esse *acerbissimam conscientiæ accusationem*. In-

telleximus sane utramque pœnam esse gravissimam.

Sed est et tertia pœna quam subibit ille sacerdos, nisi sibi caveat et tempestive a mala via, quam imprudenter ingressus est, pedem referat. Hæc pœna est *mors*, quam dicit Spiritus sanctus esse pessimam. «Mors peccatorum pessima. » (Ps. XXXIII, 22.)

Sine ullo dubio bonum est omnibus sacerdotibus, etiam piis et sanctis, vel semel in vita sua, attente considerare quam *misera*, quamque *lugenda* sit mors sacerdotis qui vixit in consuetudine peccandi graviter,quin unquam *serio* cogitaverit de *vera* et *sincera* conversione.

Hæc nostra sit propositio: Sacerdoti peccatori mors est pœna gravissima, quia ipsi mors *amarissima*.

1° Antequam moriatur;

2° Dum moritur;

3° Jamjam mortuo.

I. *Sacerdoti peccatori mors amarissima antequam moriatur.*

Etenim sacerdos ille minime ignorat scriptum esse: « Statutum est hominibus semel mori. » (Hebr., IX, 27.)

Proinde velit nolit, etiam dum totus demersus est in suis concupiscentiis et delectamentis, audit Mortem sibi dicentem: « Quisquis es, veniam ad te... veniam cito... veniam ex improviso... veniam ut fur in

nocte... Spoliabo te omnibus... et veniam *semel* tantum... Possum te ferire *ubique*... possum te ferire *omni momento*... possum te projicere in æternitatem talem qualis nunc es, peccator, adversus Deum tuum rebellis, injuriosus, ingratus, crudelis... Et si te ferirem *hoc* momento, quænam esset sors tua ?... Noli oblivisci *a me* pendere tuam æternitatem. »

Dum hæc audit a Morte sacerdos, non potest non sibi dicere hæc et similia :

Ego *moriar*. Relinquenda igitur eruntmea *bona;* relinquendæ *personæ* dilectæ ; relinquenda quæcumque *gaudia*.

Ego *moriar*. Ibo igitur in domum æternitatis meæ. O me miserum ! mea domus æterna erit *infernus ;* hanc enim, vivendo ut vivo, mihi eligo. Nonne ambulo in via quæ ducit ad infernum ?

Ego moriar *semel*. O terribilem veritatem! Ecce omnia fere quæ *errore* fiunt in mundo, possunt corrigi ; domus collapsa reparari potest ; lis adjudicata, per appellationem potest evinci; divitiæ perditæ per industriam possunt recuperari. Verum error in morte commissus, *non potest emendari*, quia semel tantum morimur. Ergo periisse semel, æternum est. Sed maximum *periculum* est committendi errorem irreparabilem in moriendo, sacerdoti qui ad moriendum se non præparavit. « Qualis vita, finis ita, » exclamat

S. Augustinus, et refert Possidonius eum dicere consuevisse : « Nullus, quantumvis sanctus sibi videtur, præsumere deberet ex hac vita migrare sine magna ac condigna pœnitentia. » Et cur tam sæpe et tam constanter exhortatus est nos Dominus JESUS ut habeamus nos semper paratos, nisi quia *imparatis* timendum est ne male moriantur? Atqui, o Sacerdos peccator, vita tua non fuit præparatio *bonæ* mortis, sed *malæ*. Hoc nosti, hoc sentis, et persuasio te crudeliter angit atque torquet frequentissime.

II. *Sed multo amarior erit mors morienti.*

Ecce adstat diabolus et veluti triplici jaculo animam istius sacerdotis perfodit.

1° Primum jaculum est *recordatio præteriti.*

Ponit ipsi ante oculos primam communionem deliciis plenam... vitam ferventer actam in seminario... diem ordinationis... primam missam... primos annos in ministerio transactos sacerdotaliter, et sancta gaudia... Sed ostendit ipsi momentum nefastum quo osculum dedit puellæ... Scintilla erat, et statim incendium factum est. Miser sacerdos cœpit ardere flammis impuris... Ab hoc momento apparet morienti vita ut ingens mons iniquitatis... Videt officia neglecta... animas per se perditas... Sacrilegia innumera ! Merito exclamat : « Torrentes iniquitatis conturbaverunt me ! » (Ps. XVII, 5.) Quanta stupiditas mea ! Ecce datum est

mihi vitæ *tempus* ut æternos thesauros bonis operibus compararem, et ego id omne coemendis puerorum crepundiis et aranearum telis insanus consumpsi!

2° Secundum jaculum est conspectus *rerum præsentium.*

Ostenditipsi diabolustristissimamanimæ dispositionem... hinc excitat in ipso remorsum... inquietudinem... animi dejectionem... desperationem... Facit diabolus ut cadant oculi morientis in *imaginem crucifixi* et *B. V. M.* coram quibus non erubuit committere turpissima... modo in *breviarium* quod omisit a multo tempore... modo in *libros sacros*, quos, ex quo cœpit peccare, prorsus neglexit... modo in *scrinium* in quo clausa jacent impuri commercii testimonia, litteræ amatoriæ et turpes... Parietes cubiculi clamare videntur: Miser es et omni vituperio dignus; testes fuimus turpitudinis tuæ...

Et interea pauper ille sacerdos vi morbi cruciatur, conteritur doloribus, sentit jam mortis aculeum, et cogitur exclamare: «Circumdederunt me dolores mortis... præoccupaverunt me laquei mortis.» (Ps. XVII, 5, 6.) Forsan oculi cadunt, horrendum tunc ei spectaculum, in ipsam suam complicem, cujus præsentia carbonis infernalis instar animam ejus crudeliter urit et torquet.

3° Sed tertium jaculum multo terribilius est aliis, *timor futurorum.*

Ad aures sacerdotis susurrat diabolus perfidus: En instat judicium... Modo apparebis ante tribunal illius quem turpiter contempsisti, quem impuris manibus tractasti, quem in corde tuo sub meis pedibus posuisti... Non jam tempus faciendi pœnitentiam... Jam sero est!... Omnia tibi perdita sunt!

In memoriam ejus vocat sententiam damnatorum: « Recede a me, maledicte, in ignem æternum... » Heu, quantæ tunc angustiæ! Quanti conscientiæ tumultus! Nonne pro tali moriente scriptum est: « Dolores inferni circumdederunt me? » (Ps. XVII, 6.) O si audiret Angelum custodem exhortantem ad fiduciam! O si audiret confessarium exhortantem ad aperiendam conscientiam! sed adeo assuetus est præbere aurem dæmoni, ut nesciat jam resistere tentationi, et moritur sine confessione sincera, sine contritione, sine spe. Nonne gravissima ac tristissima est hæc mors sacerdotis?

III. *Mors amarissima mortuo.*

Deponitur sacerdos defunctus in feretrum, defertur ad ecclesiam, accipit solemnes exsequias et tandem committitur sepulcro. Adstat ad *monumentum* Mors ad illudendum sepulto. Videor mihi eam audire dicentem spectatoribus: Adspicite hoc sepulcrum; quid *supra?* quid *intra?* quid *infra?*

Supra? Est inscriptio: « Hic jacet *reverendus dominus pastor.* » Mendacium est!

Non *reverendus*, sed vituperandus; monstrum erat... Non *dominus*, sed mancipium carnis, mancipium feminæ, mancipium dæmonis. Non *pastor*, sed lupus pessimus et crudelissimus, quærens quem devoret. Et quot animas devoravit! Hæc inscriptio irrisio est!

Intra? Ecce corpus cui soli vixit! Manducatur a vermibus. Eloquentior quam aliorum ejus vox e sepulcro : « Putredini dixi, pater meus es ; mater mea, et soror mea, vermibus. » (Job, XVII, 14.)

Infra ? « Sepultus est in inferno » (Luc., XVI, 22) pro tota æternitate. Circumdate, si vultis, hoc sepulcrum honoribus ; injicite ei flores et coronas ; quid ipsi hæc proderunt ? Cruciatur ubi est, laudatur ubi non est.

O quantum discrimen inter talem mortem et mortem pii et boni sacerdotis ! Hæc non amara, sed jucundissima mors. Adstat morienti JESUS, morientem recreans suavissime recordatione præteriti, visu *præsentium* et certa spe proximæ remunerationis. In tali morte omnia læta, et propterea eam dicit Spiritus sanctus *pretiosam* in conspectu Domini. Utinam, o JESU, *hæc* sit nostra mors, non *illa !*

EXAMEN.

Circa obedientiam sacerdotalem.

«Vir obediens loquetur victoriam.» (Prov., XXI, 28.)

I. *Quibus* obediendum? *Deo.* — An per *omnia* facio Dei voluntatem? An servo *omnia* ipsius mandata fideliter?

Ecclesiæ. An videor revereri *sermone* et *opere* quodcumque præscripsit Ecclesia? An servo regulas quas proponit sacerdotibus pro administratione sacramentorum et pro celebratione missæ?

Episcopo. An nullum a me violatum statutum diœcesanum? An rite et tempestive exsequor quodcumque clero mandavit Episcopus?

Aliis superioribus. An vice-pastor obedio pastori? An pastor obedio decano?

Confessario. An sino me duci simpliciter ab illo quem dedit mihi Deus, sicuti dederat Paulo Ananiam, ut mihi ostendat viam qua secure et sancte ambulem?

II. *In quibus* obediendum? In omnibus in quibus non cernitur peccatum. An non soleo distinguere *magna* inter et *parva*, ita ut faciam magna, neglectis iis quæ videntur minoris momenti?

III. *Qualis* debet esse mea obedientia?

Prompta. An obedio sine cunctatione? An non exigo ad obediendum ut *pluries* me moneant superiores de re facienda?

Universalis. An non me exhibeo obedientem in iis quæ facilia sunt et mihi jucunda, minime vero in iis quæ meæ voluntati et amori proprio repugnant?

Hilaris. An hilari animo et vultu accipio et exsequor mandata mihi proposita? An non videor obedire quasi cedens tristi necessitati?

Simplex. An non assuevi exquirere anxius *causas* propter quas superior quædam mihi facienda injunxit? An non præcedunt atque comitantur meum actum obedientiæ multiplicia ratiocinia circa *intentionem* jubentis, circa *modum* jussionis?

Muta. An non facio inutiles *observationes* antequam incipiam obedire?

Fortis et *heroica.* An non limito meam obedientiam ad ea quæ non ingrata sunt, neque difficilia, exclusis iis quæ ardua sunt vel proposita a superiore minus docto aut minus prudenti?

Supernaturalis. An obedio *omni* superiori et in omni re, quia aspicio superiorem *oculo fidei*, eum considerans, qualiscumque sit, ut *interpretem* voluntatis divinæ Deique erga me providentiæ instrumentum?

Domine JESU CHRISTE, da mihi gratiam deinceps imitandi tuam admirabilem obedientiam, qua obedivisti usque ad mortem, mortem autem crucis. Amen.

RECOLLECTIO IX.

MEDITATIO.

De Jejunio.

1. Præl. Nobis vivide repræsentemus JESUM jejunantem quadraginta diebus et quadraginta noctibus, nihil prorsus manducantem, habitantem sub dio, humi cubantem, expositum omnibus cœli solique incommodis.

2. Præl. Petamus gratiam faciendi, ad exemplum Ducis nostri amantissimi, dignos pœnitentiæ fructus.

Pœnitentia, ut quæcumque alia virtus, habet sua *gaudia*, et ut quæcumque alia virtus, *obnoxia* est *insidiis* diaboli. Videamus ergo 1° *quænam* sint *gaudia* pœnitentiæ ;

2° *Quasnam* pœnitenti *insidias* soleat struere diabolus.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — **Gaudia.**

Licet ex sua natura pœnitentiæ opus sit opus laboriosum, arduum, multas complectens corporis et animæ molestias, jucunditate tamen non caret. Pœnitenti pœnitentia multa parit gaudia.

1° Primum gaudium est, cogitare se opere pœnali dare Deo signum non dubium sui amoris et suæ gratitudinis. Pœnitenti enim dum sibi infligit aliquem cruciatum, quam jucundum est mente sibi repræsentare Christum Dominum pendentem in cruce, sanguine manantem, vel columnæ alligatum ut durissimam subeat flagellationem, et dicere : « Domine Jesu, quia talia pro me tulisti, libenter ego pro te castigo corpus meum. » Amanti nihil jucundius quam habere aliquam similitudinem cum illo quem diligit.

2° Aliud gaudium pœnitentis est, cogitare se suo opere pœnali participem fieri consortii virorum præstantissimorum. Societas enim pœnitentium est omnium præstantissima. Complectitur quotquot in aliquo genere virtutis excelluerunt. Omnes viri florentes sanctitate, aliquo modo fuerunt viri eximiæ pœnitentiæ. Profecto jucundum est pœnitentiam agenti sperare se talibus viris merito adnumerari posse, saltem quoad pœnitentiam.

3° Tertium gaudium pœnitentis est,

non ignorare multas a Deo gratias concedi hominibus pœnitentiæ addictis. Quid frequentius in Veteri et Novo Testamento inculcatur quam « pœnitentia Deum placari... Deum misericordissimum pœnitenti omnia remittere debita... propter pœnitentiam auferri flagella, impertiri bona ? »

Omnibus sacerdotibus notum est præclarum S. Basilii encomium, quo celebrat jejunii virtutem, dum ostendit maximos antiquæ legis viros jejunando impetrasse a Deo insignes cœli favores. Observat etiam S. Thomas Danielem prophetam post jejunium trium hebdomadarum accepisse a Deo admirabilem illam revelationem, quæ quasi sua luce omnia sæcula irradiavit.

4° Quartum gaudium pœnitentis est, experiri in se *effectus* jejunii, quos adeo exaltat Mater Ecclesia dum singulis fere diebus temporis quadragesimalis, Deum ore suorum sacerdotum alloquens, dicit hæc pulcherrima verba : « Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia. » O gaude, bone sacerdos,

qui velles esse sanctus et qui tamen gemis pressus pondere tentationum, sentiens stimulum carnis, gaude quod habeas unde tepescat luxuria. Quam bene dixit poeta christianus :

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam ;
Luxuriat raro non bene pasta caro.

Audi sanctum Augustinum dicentem de jejunio : « Hæc virtus animi, hæc fraudatio carnis et lucrum mentis... Si caro in terram vergens onus est animæ et sarcina prægravans prævolantem, quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus jejunantes. » (Serm. de utilitate jejunii.)

II^um^ PUNCTUM. — **Dæmonis insidiæ.**

Observarunt Magistri vitæ spiritualis adversarium nostrum vario modo varias aggredi indoles quoad jejunium et alia opera pœnitentiæ.

Inter sacerdotes videt aliquos esse *debiles*, aliquos esse *robustos*, nonnullos *distractionibus obnoxios*, et alios a jejunio et abstinentia *abhorrentes*.

Erga singulos struit convenientes insidias.

Quos *debiles* videt et *delicatos*, excitat ad summam sollicitudinem de non augenda sua debilitate, ut eos inducat ad majorem quam oportet valetudinis curam.

Quos videt *robustos* et *generosos*, excitat ad augendas plus æquo pœnitentias, et ad spernendas cautiones quas suadet prudentia, ut sic eos impellat ad funestum excessum in abstinendo a potu et cibo.

Quos videt *abhorrentes* ab omni mortificatione, excitat ad impatientiam, ad murmurationem, ad melancholiam, ut eos tali rationi inducat ad quærendum quemcumque prætextum non jejunandi.

Quos videt *distractionibus* obnoxios, obruit multitudine distractionum, ut v. g. tempore jentaculi obliviscantur jejunandum esse, ut tempore prandii cum carne deglutiant pisces, ut tempore cœnæ non recordentur ova esse prohibita, ut sic materialiter saltem violetur lex sanctissima.

Ergo caveamus omnes, quotquot sumus sacerdotes. Qui debiles sunt, certe jejunare non possunt, sed *tempore quadragesimali* ne ostendant se delicatiores et difficiliores quam aliis temporibus; et si hoc tempus aliquid *molestiæ* eis attulerit, de hac molestia non conquerantur.

Qui robusti sunt ac generosi, certe jejunabunt, sed non tentent divinam Providentiam; proinde ita jejunent ut munus suum fideliter adimplere valeant et jejunare perseverent.

Qui abhorrent a mortificatione, horrorem superare generose conentur, nec sine vera causa dispensationem efflagitent.

Qui nimium distracti sunt, constituant aliquem qui eis invigilet et, si opus fuerit, de distractione errantem amice moneat. Cavebo igitur, o mi Jesu, a *nimia* valetudinis *cura*, ab *imprudentia*, a legis *contemptu* et *oblivione*. Fac ut nunquam e mente mea dilabatur Te voluisse jejunare, ut, sicut perditio hominis per gulam cœperat, ita salus inciperet per abstinentiam; ut

doceres hinc incipiendam carnis mortificationem et virtutum acquisitionem, et abstinentiam esse necessariam ad satisfaciendum pro peccatis, ad carnem subjugandam, vitia comprimenda, et passiones edomandas. Amen.

CONSIDERATIO.

De praxi jejunii sacerdotalis.

Ratio jejunandi admirabiliter insinuatur in oratione quæ legitur in *Missa Cinerum*. « Præsta, Domine, fidelibus tuis ut jejuniorum veneranda solemnia, et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. »

Hisce pulcherrimis verbis monemur jejuniorum solemnia suscipienda esse cum *veneratione* et cum *pietate*, et percurrenda cum *devotione*. Ergo jejunandum nobis est cum *veneratione*, cum *pietate*, cum *devotione*.

1° Cum *veneratione*, dicuntur enim *veneranda* solemnia.

Et re quidem vera omni veneratione digna sunt :

a) Propter *originem*, ut quæ sint ab ipso Deo per Ecclesiam instituta ;

b) Propter *sanctorum auctoritatem*, qui in Veteri et Novo Testamento talia jejunia per quadraginta dies usurpasse leguntur ;

c) Propter exemplum JESU CHRISTI, per quadraginta dies jejunantis ;

d) Propter *ingentia multaque bona* quæ ex ipsis fluere cognoscuntur.

Ergo de jejunio tam venerabili nunquam non honorifice loquamur, neque unquam conqueri videamur de institutione rei tam sanctæ.

2° Cum *pietate*, i. e. cum *amore*.

Opportune observat S. Augustinus homines ex vario motivo jejunare. *Ægrotus*, ait, jejunat ut *valeat ; fastiditus* jejunat ut *appetat ; avarus* jejunat ut *parcat ; hypocrita* jejunat ut *appareat. Sacerdos* jejunare debet ut *probet* suum *amorem* erga amantissimum suum Salvatorem : ergo ex amore et cum amore. Non igitur cum tristitia, non cum tædio, non cum repugnantia, sed libenter, sed jucunde, sed cum gaudio. Propterea JESUS in Evangelio ejusdem diei Cinerum jubet *ungi caput* et *vultum lavari*.

Dicitur cum pietate *congrua*, i. e. suscipienda sunt jejunia cum alacritate quidem, sed juxta præsentem hominis statum ; sunt enim qui a superiore vel a medico jejunare prohibentur, nec propterea a jejunantium mercede excludendi sunt ; libenter ferant suam debilitatem, suam infirmitatem, et jejunaverunt.

3° Cum *devotione*. Juxta divum Thomam, jejunare cum devotione, est promptam habere voluntatem ad omnia quæ ad hæc solemnia jejuniorum pertinent. Jam vero

hæc promptitudo voluntatis supponit jejunium institui cum *recta intentione, fidèliter, generose*, cum *fructu*.

a) Cum *recta intentione*. Debemus jejunare, ait S. Thomas, non ut jejunemus, sed ut per jejunium obtineantur illa tria quæ intendit Ecclesia ; primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas ; secundo ad hoc quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda ; tertio ad satisfaciendum pro peccatis.

b) Cum *fidelitate*, omnia quæ præscripta sunt servando, non cum scrupulo, sed rationabiliter.

c) Cum *generositate ;* non contenti jejunio materiali, sed materiali jungendo jejunium spirituale, juxta quod scripsit S. Bernardus: « Jejunet gula, jejunet oculus, jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet anima ipsa. » Quod sic explicat mellifluus Doctor :

Jejunet *oculus* a curiosis aspectibus et omni petulantia.

Jejunet *auris* nequiter pruriens, a fabulis et rumoribus, et ab iis omnibus quæ otiosa sunt et ad salutem minime pertinentia.

Jejunet *lingua* a detractione et murmurationibus ; ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis.

Jejunet *manus* ab otiosis signis, et ab operibus quæ distrahunt nec sunt imperata.

Multo magis *anima* jejunet a vitiis et propria voluntate. (Sermo 3. Quadrag.)

d) Cum *fructu*, i. e. ita jejunet sacerdos ut influat jejunium in omnes ejus actiones, in totam vitæ rationem, adeo ut caveamus a minimo peccato deliberate commisso; ut ferventer faciamus exercitia spiritualia; ut accurate omnia nostra munera impleamus.

Si sic transigatur tempus quadragesimale quam nobis jucundum erit, quam gratum Deo, quam omnibus utile!

EXAMEN.

Circa mortificationem sacerdotalem.

In admirabili suo libello exercitiorum docet S. Ignatius modum se mortificandi vere sacerdotalem. « Qui volunt, ait, se *insignes* exhibere in omni servitio sui Regis æterni, non solum offerent se totos ad laborem, sed *agent contra* suam propriam *sensualitatem* et *contra* suum *amorem carnalem* et *mundanum.*» An igitur ex amore Christi soleo agere contra hunc triplicem amorem?

I. Contra *amorem sensualem.* Hic amor complectitur *sensuum oblectamenta* et libertatem etiam non prohibitam oculorum, aurium, gustus, odoratus, tactus, linguæ.

An non avide mihi procurare gestio quidquid putatur posse aliquid oblectamenti parere sensibus meis? — An aliquoties saltem, propter amorem JESU vel Mariæ

omitto haurire ex *floribus* suavitatem odoris ; ex *concentu musicorum* jucunditatem harmoniæ ; ex *aspectu rei venustæ* satisfactionem curiositatis; ex *verbo lepide dicto* amoris proprii voluptatem atque triumphum vanitatis ; ex *confabulatione otiosa* pigritiæ adminiculum ?

II. Contra *amorem carnalem.* Amor carnalis dicitur amor *commodorum corporis, sanitatis, vitæ, parentum* et *amicorum.*

An non videor carpere quodcumque se offert corporis commodum, transmittens auream occasionem me mortificandi ?

An non mihi est *inquieta* valetudinis conservandæ sollicitudo ?

An non plus æquo timeo jacturam vitæ, vitando cum anxietate omnem laborem, omnem fatigationem unde vires viderentur posse infringi ?

An non amore inordinato erga sanguine aut amicitia conjunctos, sino me exercitio sacri ministerii impediri, ita ut non libere aut strenue valeam pro bono parœciæ laborare ?

III. Contra *amorem mundanum.* Amor mundanus intelligitur *amor rerum* quæ mundus amat, scilicet *divitiarum* et *honorum.*

An non ita extollo, appeto, quæro divitias, ut princeps mea cogitatio sit eas augere, et constans angat timor ne patiar aliquam

pecuniarum jacturam, et tristitia magna oriatur animique dejectio, si quid damni contigerit pati?

An non ita magni facio, appeto, quæro dignitates et munera altiora, ut, ad ea obtinenda omnes videar intendere nervos omnemque impendere laborem?

Et si alii ad hæc obtinenda perveniunt, an non me audiunt conquerentem de injusta et inconsiderata agendi ratione superiorum?

O mi JESU, utinam ita deinceps te diligam ut nihil mihi jucundius sit quam juxta morem sanctorum exire ex memetipso, ex mea propria voluntate, ex mea propria utilitate! Utinam totus sim tuus, non amplius meus

RECOLLECTIO X.

CONTEMPLATIO.

De ascensu JESU in templum anno duodecimo.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo Puer divinus, anno duodecimo ætatis, dilectos parentes fuerit comitatus Hierosolymam, ibique post triduum ab eis inventus sit.

2. Præl. Petamus gratiam probe intelligendi et in praxim deducendi admirabilia vitæ spiritualis principia quæ JESUS nos in hoc mysterio docet.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — Jesus ascendit Hierosolymam.

Intueamur Christum duodennem cum B. M. V. et S. Joseph tendentem Hierosolymam. Conspiciamus eos *euntes* ad templum et ibi *orantes*. Quam *modesti* in itinere ; — quam *ferventes* in templo ! — Quam *pio* aspiciunt oculo sanctas cæremonias quas peragunt sacerdotes ! — Qua *pietate* excipiunt auribus cantica sacra ! — Quam purum hauriunt *gaudium* ex contemplatione mysteriorum sublimium, quæ ritibus

divinitus institutis in memoriam revocantur.

Audiamus Christum cum benedicta Matre et S. Joseph in via *loquentem.* Non est dubitandum quin de reverentia et cultu Deo persolvendo multa dixerint. — Doleamus de inutilibus colloquiis, conemurque apud omnes inserere quædam quæ moveant ad cultum Dei, dum colloquimur.

O quam gloriosum, quam jucundum æterno Patri fuit hoc primum iter Unigeniti in templum ! Quam grata et accepta Sanctissimæ Trinitati terrestris hæc itinerantium Trinitas !

Hæc autem mihi consideranti non potest non subire hæc cogitatio maximi momenti: Sancta Familia idem facit quod alii Judæi ; sed quantum discrimen est in *modo* quo id faciunt, et in *merito* quod inde consequitur ! Atque idem fit in omni communitate, in omni collegio, in omni seminario, in omni cœtu sacerdotum. Omnes fere eadem peragunt singulis diebus, sed quanta cum differentia quoad *perfectionem* et quoad *meritum !* O si nobis daretur

conspicere, post transactam diem, *paginam libri vitæ* in qua scripta sunt omnia quæ ad istam diem pertinent, obstupesceremus sane, videndo quantum discrimen sit in merito singulorum. Videremus facta nonnullorum scripta litteris *aureis*, nonnullorum litteris *argenteis*, nonnullorum litteris *nigris;* pro uno alterove *nihil* prorsus videremus scriptum.

Quinam sunt de quibus *nihil* inscribitur in libro vitæ ? Sunt illi qui transigunt diem in statu peccati mortalis. Quam miseri ! — Quinam sunt quorum acta scripta sunt litteris *nigris ?* Sunt illi qui *perfunctorie* agunt, *tepide*, *leviter*, *negligenter*, *sine intentione*. — Quinam quorum facta scripta sunt litteris *argenteis ?* Qui generatim *bene* agunt, non tamen sine aliqua negligentia. — Quinam quorum acta scripta leguntur litteris *aureis ?* Qui omnia satagunt *rite* peragere. Hi autem quam beati !

O utinam inter omnes sacerdotes sancta esset æmulatio sese invicem superandi, non faciendo quidem extraordinaria, sed *extraordinarie* faciendo

ordinaria, ad exemplum S. Joannis Berchmans.

II^um^ PUNCTUM. — **Jesus mansit in templo.**

Consideremus de more *personas*, *verba* et *opera*.

1° *Personas*.

Conspiciamus divinum Puerum sedentem inter doctores, *placidum*, animo *pacato*, vultu *sereno*, licet non ignoret ex sua absentia graviter dilectos parentes esse contristandos. Minime turbatur, quia faciendo quod facit, implet æterni sui Patris voluntatem. — An ego non facile turbor in rebus *insolitis ?* Et unde mea turbatio ? Nonne quia non unice quæro in omnibus Dei voluntatem, sed potius meam ?

2° *Verba*.

JESUS nihil dixit suis parentibus, non profecto quia ei timendum erat ne a parentibus impediretur in iis quæ statuerat peragere pro gloria Patris, sed quia nobis dare debebat exemplum *prudentiæ apostolicæ*. O quam multi viri apostolici suo ministerio nocuerunt nimia sua garrulitate ! Propterea pru-

dens sacerdos ne suis quidem parentibus indiscriminatim communicat quæcumque spectant ad administrationem parochiæ et ad directionem parochianorum. O Domine, da mihi ut nunquam e mente elabatur quod dixit nomine tuo Sapiens, esse tempus *tacendi*, non minus atque tempus loquendi.

3° *Opera.*

Manet JESUS in templo, *insciis* parentibus; quare? *a)* Ut aperiat *Vocatis* viam consiliorum evangelicorum, ostendendo quomodo etiam invitis parentibus Deo ad vitam perfectam vocanti obedire teneantur, et quomodo *toti* esse debeant in iis quæ pertinent ad Dei famulatum.

b) Ut intelligant viri apostolici quam sedulo cavere debeant ab *omni affectu* quo possent impediri quin toti sint in iis quæ Patris sunt sui. Ita igitur viros apostolicos esse decet, ut Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia (Heb., VII, 3), paratos odisse odio sancto patrem et matrem et omnes sanguine junctos, propter Christum et Evangelium.

Quam turpe esset, o mi JESU, si in ministerio sanctæ meæ vocationis, affectu nimio, non erga parentes, sed erga aliam qualemcumque personam, impediri me sinerem vel retardari. Quis dabit mihi alas sicut columbæ, et volabo quocumque me vocaverit gloria Dei et salus animarum!

III^um^ PUNCTUM. — **Jesus inventus a Parentibus.**

1° Consideremus *quanta* fuerit *tribulatio* cui divina Providentia subjecerit sanctissimos parentes JESU. Cum veritate dicere possumus de hac tribulatione quod generatim dicitur de doloribus Mariæ: quantus *amor*, tantus *dolor*. Quis autem amorem Mariæ et Joseph erga JESUM posset æquare verbis? Nulla igitur lingua magnitudinem angoris quem passi sunt, amisso JESU, exprimere valeat.

2° Consideremus quam *compotes* sui fuerint, quam *fortes* animis, quam *plene submissi* divinæ voluntati. Minime dubitabant quin Deus infinite bonus hanc probationem permitteret ad finem

se dignissimum. Quapropter eam suscipiunt cum imperturbata fiducia, pro certo habentes « diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. »

3° Consideremus qua *celeritate*, qua *patientia*, qua *constantia* quæsiverint JESUM, et quomodo post triduum dolorosæ inquisitionis eum invenerint, non inter cognatos, sed inter doctores in templo.

4° Consideremus quanta fuerit cordis eorum lætitia, dum oculis conspicerent suum dulcem Natum tot lacrymis, tot votis per tres continuos dies expetitum et tandem inventum. Quam merito dicere potuerunt Filio suo hæc verba Prophetæ : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » (Ps. XCIII, 19.)

5° Consideremus Christum, sicuti parentes suos triduo deseruit, ita se subinde familiaribus subtrahere, vel ob latentem aliquam eorum arrogantiam, vel ob occultum rancorem adversus alios, vel ob nimiam severitatem, vel etiam ad excitandam majorem sitim rerum divinarum, vel ad humilitatis et

patientiæ exercitium, vel tandem ad nostram instructionem, ut aliis possimus efficacius succurrere.

O Maria, o Joseph, gratulor vobis ex toto corde de admirabili vestra animi *fortitudine* qua momentaneam thesauri vestri amissionem pertulistis. Gratulor vobis de *prudentia* summa qua cavere voluistis ab omni cordis perturbatione, ab omni diffidentia erga divinam Providentiam, ab omni animi dejectione. Gratulor vobis de *generositate* qua, obliti fatigationis nimiæ, statim longiori et graviori itineri vos accinxistis, parati non consistere donec teneretis eum quem quærebatis. Gratulor vobis de ingenti *gaudio* quo Filius vobis redditus animam vestram divinitus perfudit.

Utinam in quacumque tribulatione fideliter vestigia vestra premere viderer, non conquerendo de divina Providentia, non dubitando de Dei erga me benignitate, non me præcipitando in abyssum desperationis; sed Deum laudando et me totum ejus divino beneplacito gubernandum permittendo.

Utinam, o mi Jesu, tempore desolationis, cum scilicet privas me solita tua consolatione mihique temetipsum subtrahis ita totum, ut me videam densissimis tenebris circumdatum et quasi propriis meis viribus derelictum, utinam, inquam, ad exemplum Mariæ et Joseph cum summa celeritate, invicta patientia et perseverantia intrepida te sollicite quæram, gemendo, humili prece ad ostium cordis tui pulsando, et, ut suadet servus tuus Ignatius, memetipsum prorsus immutando in virum meliorem, fideliorem, liberaliorem erga divinam tuam Majestatem. Amen.

CONSIDERATIO.

De cruce sacerdotali (1).

Ad exemplum sui Magistri amantissimi, quivis sacerdos suam crucem summopere debet æstimare; eam debet ardenti affectu amplecti, et sine dubio ex ea et ipse colliget uberrimos fructus.

Ut autem talis sit sacerdotis animi dispositio, necesse est ut plane perspectam habeat crucis suæ *necessitatem*, suæ crucis *utilitatem*, suæ crucis *jucunditatem*.

Necessitas crucis.

Crucem vocamus ea omnia quæ sua natura displicent amori nostro proprio, sensuali, carnali. Talium autem multi exstant fontes inter quos sufficit indicare *Mundum*, in quo commoratur necessario sacerdos. Quot in hoc mundo nobis obveniunt quæ *ingrata* sunt atque injucunda! Quot quæ afferunt molestiam *corpori*, ut morbi... insomniæ... aeris inclementia... sitis et fames... fatigatio... deperditio virium... incommoditates variæ in cibo, in potu, in lecto, in domicilio... damna rerum temporalium... tædia... scrupuli... tentationes.

Quot deinde molestiæ quæ immediate *mentem* nostram afficiunt, ut sunt : sinistra aliorum de nobis judicia et opiniones... accusationes nostri justæ et veræ, et aliæ non veræ sed temerariæ et calumniosæ... Item privatæ et publicæ detractiones... irrisiones... convicia... contemptus... Malus successus in nostris occupationibus et officiis.

Quot etiam displicent amori proprio molesta quæ intelleximus affecisse eos qui nobis sunt cari, ut sunt amici, consanguinei, subditi, superiores.

Quam merito scripsit Thomas Kempensis: «Converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra; et in his omnibus invenies crucem... Erras, erras, si

aliud quæris quam pati tribulationes : quia tota vita circumsignata est crucibus. »

In eodem sensu pulcherrime dixit B. Laurentius Justinianus : « Universum vitæ nostræ tempus quædam est *Vigilia* solemnitatis æternæ. Vigilia utique non est tempus deliciarum sed fletus. »

Hæc omnia vera sunt de omnibus hominibus ; sed sacerdoti aperiuntur et alii fontes crucium et tribulationum, de quibus jam actum in meditatione de *patientia* sacerdotali. (*Sacerdos*, t. II, Recoll. VI, p. 67.)

Cruces igitur habemus, quia *homines* sumus, viventes in valle lacrymarum, in loco exsilii. Cruces habemus, quia *vocatione* sequaces sumus Filii Dei. Cruces habemus, quia *officio* sumus apostoli.

Consideravimus hucusque *veros* fontes crucium nostrarum, quas nobis non licet effugere ; et certe sat multi sunt ut non *alios fontes* crucium quæramus. Sed eheu ! quot sunt homines, etiam inter sacerdotes qui videantur sibi novos crucium fontes creare!

Tales sunt 1° qui sinunt se illudi imaginationis suæ deliramentis. Hi quidem sine ullo fundamento difficultates, molestias, impedimenta et ærumnas *prævident*, quæ nunquam erunt. Solliciti plus æquo de servanda valetudine, ad minimam indispositionem corporis contremiscunt, febricitant et putant se in se experiri effectus morbi

quo non laborant nisi in sua imaginatione. Nemo non videt cum hac unica cruce connecti innumeras alias cruces.

Tales sunt 2° qui facilius se tradunt suspicionibus. Absque ulla ratione suspicantur contra se aliquid dictum esse aut factum ; contra suam auctoritatem aliquid esse machinatum ; apud superiores, propter aliquam denuntiationem forsan factam, se male audire; et alia multa similia, quæ singulariter solent animum conturbare et impedire multa bona. Hæc continua suspicio atque diffidentia crux est non inter minimas numeranda.

Tales sunt 3° qui sua *infidelitate*... sua *tepiditate*... sua *imprudentia*, sua nimia *familiaritate* cum feminis... suis inopportunis familiarum *visitationibus*... tandem suo graviori lapsu in aliquod peccatum, innumeras sibi procreant tricas, quæ non raro perdurant per totam vitam.

O quot sacerdotes sibi fabricaverunt *sponte* tristissimam crucem, indulgendo passionibus suis !

O mi Deus, fac ut nos saltem similes fontes tribulationum a nobis in æternum amoveamus. Cum gratia tua hæc mihi firmiter propono :

1° Nunquam voluntarie sinam me duci impressionibus *imaginationis*, sed ducere me conabor in omnibus *fide* et *ratione*.

2° Nunquam sinam me abripi inclinatione

naturali, qua impellimur ad nutriendas suspiciones temerarias.

3° Non ero nimium sollicitus de valetudine mea servanda. Volo ut mihi cura sit valetudinis *rationabilis*, non immoderata aut inquieta.

4° Ubique et semper *agam* sacerdotaliter, sacerdotaliter *loquar*, sacerdotaliter *vivam*, serviens Deo meo in simplicitate cordis et vitans omni diligentia quidquid displicere posset Deo, proximo esse scandalo, vel animæ meæ aliquid afferre detrimenti.

5° Quanto studiosius vitabo cruces quas intellexi oriundas ex fontibus *fictis*, tanto avidius suscipiam cruces quas ex fontibus a se constitutis, pro me eligere dignabitur divina Providentia; has amplectar ardenter; has feram animo forti et generoso, vestigia premens Regis mei præeuntis ad cœlum. Amen.

EXAMEN.

Circa pusillanimitatem.

I. « Pusillanimitas est vitium quo quis, inordinato timore, se subtrahit ab operibus bonis. » (S. Anton., Sect. II, tit. 9, c. XVI.)

1° An non contentus sum gemere, videndo ovium mearum defectus et parœciæ miserias, ex timore inordinato omittens debitam correptionem ?

2° An non negligo, ex timore nimio, monitum Apostoli dicentis : « Insta opportune,

importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina? » (II Tim., IV, 2.)

3° An non abstineo ab introducendis in meam parœciam quibusdam piis et opportunis operibus, *quia timeo* difficultates, laborem, sacrificia, quæ ad hæc instituenda et conservanda requiruntur?

4° An non ex timore nimio fatigationis vel morbi forsan contrahendi, facilius negligo adire casas pauperum et ægrotantium?

5° An non ex quadam naturali timiditate rarius adeo scholas ad stimulandos parvulos et magistros?

6° An non etiam ex timiditate vito invisere et alloqui *viros* meæ parœciæ, quos si non fugerem, probabiliter ad praxim religionis adducerem?

II. « Pusillanimitas est, ex rerum adversarum tædio, *iners* et *inconsiderata* fracti animi *dejectio.* » (Hugo a S. Vict.)

1° An non constitutus in aliqua tribulatione statim conturbor... tristor... conqueror... animo cado?

2° An propter occurrentem difficultatem non soleo abrumpere opus feliciter et cum animo inceptum?

3° An pressus *desolatione spirituali*, non remissior fio in adimplendo officio mihi commisso?... An tunc non decurto exercitia spiritualia vel ea desero, quia non jam experior solitas consolationes?

4° An tempore desolationis non muto imprudenter *proposita* concepta tempore consolationis ?

5° An tempore desolationis, juxta consilium S. Ignatii, conor intense *memetipsum* mutare, v. g. insistendo *magis* orationi, examinando me diligentius, aliquid etiam pœnitentiæ assumendo ?

III. « Pusillanimitas procedit *ex parvitate animi.* » (S. Th., 2. 2., q. 133, a. 2.)

1° Parvitas animi est *deterreri labore.* An non sino me labore deterreri ?

2° Parvitas animi est officium oblatum recusare, solum quia videtur non carere difficultate. An non recusavi ex timore molestiæ aliquod munus, talentis meis meisque viribus par ?

3° Parvitas animi est abstinere a concionando propter timorem humiliationis, et abhorrere a confessionibus audiendis ex timore tricarum. An non fuit mea hæc ratio agendi?

4° Parvitas animi est nimiam præ se ferre sollicitudinem de valetudine servanda. An non inquiete fugio quidquid corpori meo molestiam creare posset ?

O Domine, ita pectus meum robora ac confirma, ut cum S. Chrysostomo quidquid terroris habet mundus, contemnam, quidquid delectabile habet, rideam ; divitias non cupiam, paupertatem non horream, et mortem ipsam non timescam.

RECOLLECTIO XI.

CONTEMPLATIO.

De vita Christi usque ad annum 30^mum^.

1. Præl. Intueamur JESUM in domo Nazarethana sub S. Josepho fabrilia tractantem.

2. Præl. Petamus gratiam amandi et fideliter imitandi vitam Christi absconditam.

Admirabilem vitam, quam duxit Dominus JESUS usque ad annum ætatis trigesimum, triplici versiculo explicat Evangelista : « Et erat subditus illis. » (Luc., II, 51.) — « Proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. » (Luc., II, 52.) — « Nonne hic est faber, filius Mariæ? » (Marc, VI, 3.)

1^um^ PUNCTUM. — « Et erat subditus illis. »

Quis subditus erat ? Filius Dei, ipse Deus omnipotens, Rex regum, Dominus dominantium. Et ego, superbus pulvis et cinis, obedire recusem ?

Quibus obediebat JESUS ? Creaturis suis, Mariæ et Josepho. Et ego superioribus meis, et in eis ipsi Deo non obediam?

In quibus obediebat? In vilibus et parvis rebus, ut verrere domum, mensam sternere, adjuvare matrem ad culinam, S. Josephum ad ligna tractanda. Et ego forsan humilia fugio officia, inhians officiis altioribus et speciosis.

Quomodo obediebat? Prompte, alacriter, perfecte, humiliter, cum gaudio, cum caritate erga Deum et erga Parentes, interius atque exterius. O mi Jesu, quantum distat mea a tua obedientia! Quam tarde, quam segniter, quam lente, quam ægre visus sum mandatis superiorum obedire! De hac mea imperfecta obedientia erubesco, firmiterque mihi propono cum gratia tua deinceps melius obedire propter Te.

Et *quare*, o Fili Dei, hanc tuam vitam pretiosissimam traducere voluisti in obediendo? Nonne ut nos *pretium obedientiæ* doceres? Et profecto securissima est vita obedientis, et non immerito similis dicitur dormienti in navi, qua suaviter et secure ab alto ad portum ducitur. Præterea vir obediens errare non potest obediendo, cum error in imperantem redundet, neque subditi

sit de superiorum decretis judicare. Adde quod omnia indifferentia opera vi hujus virtutis fiunt meritoria, adeo ut ex obedientia comedendo mereri plus possim quam arbitrio meo jejunando. Immo aliquo modo *invincibilis* evadit homo per obedientiam, dicente Scriptura : « Vir obediens loquetur *victoriam.* » (Prov., XXI, 28.)

Quis igitur sacerdos sapiens non gaudebit quod sibi occasio est obediendi ? Et quomodo non obediet libenter et hilari animo cuicumque superiori, sciens se obedire non *homini* sed *ipsi Deo*, a quo venit omnis potestas bene ordinata ?

IIum PUNCTUM. —« **Proficiebat sapientia et ætate.** »

1° Venit JESUS in mundum ut hominibus ostenderet rationem Deo placendi optimam. Propterea voluit omni ætati omnique conditioni esse exemplo. Sic visus est ea edere opera, ea dicere verba, eas exercere virtutes quæ unicuique ætati conveniebant. Hinc factum est ut in terris apparuerit *infans* per-

fectissimus, perfectissimus *adolescens*, perfectissimus *vir*.

An ego profeci gratia et sapientia cum ætate? An crevi *sapientia* seu vera rerum æstimatione, prout sunt in se? An crevi *gratia* seu affectu et fervore devotionis? Dixit autem S. Bernardus: *Non progredi regredi est, et nolle proficere deficere est.* Eheu! forsan de me merito quis dicat quod Scriptura dicit de statua quam viderat Nabuchodonosor: « Caput ex *auro* optimo erat, pectus autem et brachia de *argento*, porro venter et femora ex *ære*, tibiæ autem *ferreæ;* pedum quædam pars erat *fictilis*. » (Dan., II, 32, 33.) — Caput vitæ meæ clericalis vita fuit habita in Seminario; reliquæ vitæ partes fuerunt anni subsequentes. Nonne ultima tempora pejora præcedentibus? Et de hoc doleo.

2° Proficiebat Jesus coram *Deo* et *hominibus*. Sic et mihi proficiendum est, ut homines videant opera mea bona et glorificent non me, sed Patrem qui in cœlis est. Si proficio coram Deo solum, nulla habita ratione proximi,

parum est. Si solum proficio coram hominibus, hoc unum attendens ut illis placeam, ab illis magni fiam, ab illis sanctus habear, hoc vanissimum est, et ab hoc volo deinceps abhorrere.

3° Contemplemur domum Nazarethanam. Licet exigua sit et præ se ferens summam paupertatem, est tamen *paradisus.* Eam paradisum fecerunt *subordinatio* JESU perfecta, *labor* ordinatus et *oratione* sanctificatus, morum *amœnitas* nec non *suavitas* mutuorum affectuum, *concordia* animorumque *conjunctio.* — Beata domus sacerdotalis in qua hæc veræ felicitatis elementa inveniuntur! Ibi pax, ibi lætitia, ibi spiritus libertas, ibi benedictio cœli.

O quam jucundum erat Mariæ et Josepho te videre, o mi JESU, amabilissimum comitate, moribus suavissimum, sermone simplicissimum et vere mellifluentem. Nunquam te viderunt tristem vel turbulentum ; nunquam te audiverunt ita ut vox tua foris audiretur ; nunquam te conspexerunt, arundinem quassatam confringentem aut linum fumigans exstinguentem. (Isai., XLII, 2,

3,4.) Fac, o Jesu, ut in posterum meum contubernium nulli molestum sit, sed omnibus gratum sit atque jucundum.

III^um^ Punctum. — « Nonne hic est faber, filius Mariæ? »

Quare Christus, *Dei virtus*, *Dei sapientia*, qui venerat in mundum propagaturus gloriam Patris, voluit per triginta fere annos *latere* in domo Nazarethana, *vili opificio* intentus?

1° Ut nos doceret amare *vitam absconditam* in Deo. Et per tot annos occultavit *divinitatem* suam. Quis enim suspicaretur hunc esse Deum, quem tantillum inter plebeios videbat? « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, salvator! » (Isai., xlv, 15.) Occultavit *sanctitatem;* non enim legimus eum tunc temporis miracula edidisse aut opera illustria virtutum. — Occultavit *sapientiam;* licet enim in eo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi essent (Col., II, 3), tamen ita modeste apparebat aliis ut initio suæ prædicationis propinqui ejus ut furiosum eum vincire vellent; alii autem dicerent: « Quo-

modo hic litteras scit, cum non didicerit ?» (Joan., VII, 15) et scandalizabantur in eo. — O Domine, da mihi tantum vitæ absconditæ amorem, ut cum veritate dicere valeam : « Amo latere, nesciri, pro nihilo reputari. »

2° Ut doceret nos amare *officia humilia*.

Jesus non erubuit præ se ferre *fabrum* et fabri filium, fabrilia cum ipso tractantem. Ostendere nobis intendit quomodo *ab otio* abhorrere debeamus, ita ut nos nunquam inoccupatos inveniat diabolus, innuens suo exemplo humiles vitæ domesticæ actiones summopere placere Deo et maxima nobis conferre merita pro æternitate. — An non videor quædam vitare munera quasi pro mea dignitate viliora? Utinam tandem didicissem esse humilis corde !

3° Ut doceret nos honorare et diligere *pauperes*, *opifices* et omnes illos qui generatim inter homines vel negliguntur vel contemnuntur. Quam opportune, o Jesu, hoc nos docuisti ! Tempora nostra agitatissima sunt et terribiles præsagiunt calamitates. Sævit

atrox divites inter et plebeios bellum. Nonne id factum est, quia non sufficienter attendentes ad exemplum quod nobis dedisti, caruimus debita erga *parvulos* hujusmodi caritate? O si major nostra fuisset pauperum et opificum sollicitudo, facilius nobis fuisset eorum animum hostilem lenire. Ergo cum gratia tua, his jam ministeriis me accingam, quibus creduntur *minimi illi fratres* posse melius juvari et in via recta detineri.

CONSIDERATIO.

De cruce sacerdotali (2°).

Utilitas crucis.

Deus infinite bonus et sapiens suos amicos deducere solet per *viam asperam* et *arctam*, quia scit talem viam esse *breviorem* ad patriam, *meliorem tutioremque*. Hanc unicam causam esse tribulationum quibus objicit Deus electos suos, unanimi voce testantur Theologi. Et re quidem vera Deus homines affligi permittit vel ad probationem amoris, vel ad punitionem peccatorum, vel ad proximi ædificationem, vel ad debitorum exstinctionem, vel ad justi glorificationem.

1° *Ad probationem amoris.*

Ad singulas fere paginas S. Scripturæ insinuatur hæc veritas. Id luculenter explicuimus. Conferatur *Sacerdos*, Series altera, pag. 72.

2° *Ad punitionem peccatorum eorumque emendationem.*

Quot *superbos* sanavit Deus humiliatione! Quot *avaros* bonorum amissione! Quot *sensuales* molestia morborum! Quot *tepidos* et *pigros* multitudine probationum! Quis scit quid de S. Theresia factum fuisset, si eam Deus magnitudine afflictionum a quibusdam defectibus et inclinationibus non emendasset?

3° *Ad proximi ædificationem.*

Nonne propter nostram ædificationem permisit Deus sanctum servum suum Job obnoxium esse insultationibus dæmonis, uxoris et amicorum? Nonne ad nostram ædificationem innumeris obrui voluit ærumnis apostolum suum Paulum qui fuit, ut ipse testatur, in labore et ærumna... in vigiliis multis... in fame et siti... in frigore et nuditate... in carceribus... in plagis supra modum... in mortibus frequenter? Nonne quotidie bonos et sanctos sacerdotes probat Deus variis vexationibus et gravissimis infirmitatibus, ut nos discamus de nostris levioribus malis non murmurare, et propter hæc parva non tam facile animum despondere? Sic etiam creditur Deus permittere

ut non pauci sacerdotes subitanea morte abripiantur, ad reddendos nos cautiores, ita ut semper parati inveniamur.

4° *Ad debitorum solutionem.*

Doctrina est omnium doctorum, per cruces patienter toleratas pœnas peccatis justorum debitas remitti, et materiam Purgatorii subtrahi. Hæc sane maxima crucis utilitas. Scimus a S. Thoma traditum, pœnas Purgatorii esse acerbiores Passione Domini, quæ Christi Passio, quoad omnia considerata, excesserit dolores martyrum. Sicut ergo, o mi Frater, tolerares omnia quæ amori proprio displicent, si certo et infallibiliter scires te ob peccata tua debere uri in craticula simili S. Laurentii craticulæ, et in igne lento manere per aliquot dies ; ita nunc tolera pro Deo omnia quæ displicent, ut evadas pœnas Purgatorii, quas multi Justi per multos annos in Purgatorio patiuntur. Quod si eis liceret exire e Purgatorio, libentissime se offerrent ad omnia tormenta quæ unquam passi sunt martyres. Magnum, igitur, beneficium est cuiquam hic multa pati, ne eidem graviora in altera vita pati contingat.

5° *Ad Justi glorificationem.*

Quis sacerdos, aliqua afflictione pressus, non exsultat spe et fiducia, dum legit hæc psalmistæ : « Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem ve-

nient cum exsultatione, portantes manipulos suos?» (Ps. CXXV, 5, 6.) Quis sine gaudio audire potest Paulum dicentem : « Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis? » (II Cor., IV, 17.) « In paucis vexati, dicit Spiritus sanctus, in multis bene disponentur. » (Sap., III, 5.)

Intelligo nunc quare sancti tam avidi fuerint tribulationis.

Intelligo quare S. Theresia vivere non potuerit sine tormentis.

Intelligo quare S. Maria Magdalena de Pazzi potius voluerit pati quam mori.

Intelligo quare S. Joannes a Cruce pro mercede laborum suorum expetiverit a JESU *pati* et contemni.

Hæc fuit sanctorum sublimis stultitia ; utinam sit et nostra ! Amen.

EXAMEN.

Circa patientiam sacerdotalem.

« In patientia vestra possidebitis animas vestras. » (Luc., XXI, 19.)

Patientia est *æquanimis* malorum tolerantia. (S. Bonav., Cen noq., 3, sect. 43.)

I. *Quoad materiam patientiæ.*

Tribus modis patientiæ virtus exerceri solet. Alia sunt quæ a *Deo*, alia quæ a *dia-*

bolo, alia quæ a *proximo* sustinentur. A proximo persecutiones, a diabolo tentationes, a Deo flagella tolerantur. (S. Greg. M., Hom. 35 super Evang.)

1° Quomodo perfero proximi mores et habitus mihi contrarios et injucundos? An de his non conqueror? An tantum quantum possum eos apud me excuso? An non facilius discedo a personis a quibus materia patientiæ præbetur? An non promptius me offensum ostendo propter signum contemptus vel propter vituperium?

2° Quomodo me habeo in anxietatibus spiritus... in desolatione animi... in distractionibus... in scrupulis? An propter talia non animo dejicior?

3° An non frequenter conqueror de calore et de frigore — de siccitate et de pluvia, et de cæteris aeris tempestatibus?

4° Qualem me exhibeo in doloribus et morbis corporis?... in melancholia... in tædio... in tristitia... in fatigatione... in penuria et egestate?

5° An non nimiæ me trado tristitiæ propter mortem propinquorum vel amicorum?

6° An æquanimiter fero omnem rerum temporalium jacturam?

II. *Quoad modum.*

«Est triplex genus patientiæ. Primum est tolerare inimicos *patienter*, et hoc est omnium salvandorum. Secundum est tolerare *libenter*,

et hoc est in virtute magnorum. Tertium est pati *gaudenter*, et hoc est Apostolorum. » (S. Bonav. sermo 3, *de Apostolatu.*)

1° An tolero mala mea *patienter*, non murmurando, non me turbando, nihil remittendo de fidelitate in adimplendo officio mihi demandato?

2° An tolero mala mea *libenter*, agnoscendo utilitatem probationis, et pro ea Deo gratias agendo?... An adversarium, mali causam, velut singularem benefactorem agnosco, excuso, amo, laudo, pro eo oro?

3° An tolero mea mala *hilariter*, vere gaudendo in Domino quantamcumque patior adversitatem, pro certo habens eam a Deo permissam ad meam salutem et sanctificationem?

4° An mihi familiare est usurpare tesseras Sanctorum, v. g. « Amplius, Domine, amplius! — Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini! — Aut pati aut mori! — Non mori sed pati! — Pati et contemni pro te, Domine! »

O JESU, fac ut nunquam e mente elabatur quod dixit servus tuus, S. Antoninus: « Patientia pugnantem inexpugnabiliter armat, hostem fortiter expugnat, de ipso nobiliter triumphat, vincentem feliciter coronat. » (Part. IV, tit. 3, c. 7, 2.)

RECOLLECTIO XII.

CONTEMPLATIO.

De Baptismo JESU.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo Dominus Jesus, Matri valedicens, ad Jordanis flumen se contulerit ad accipiendum a S. Joanne baptismum, et quomodo super eum baptizatum descenderit Spiritus sanctus.

2. Præl. Aspiciamus locum baptismi et cœlum super eum apertum.

3. Præl. Petamus gratiam perfecte imitandi Jesum in virtutibus quarum hic nobis dedit exemplum.

In mysterio, quod contemplaturi sumus, proponitur nobis veluti speciale quoddam *fundamentum vitæ apostolicæ.*

Ad vitam apostolicam tria sunt quam maxime necessaria : 1° abnegatio omnium rerum omniúmque affectuum quibus libera viri apostolici actio posset vel impediri vel retardari ; 2° spiritus humilitatis ; 3° missio divina seu authentica. Hæc tria luculenter apparent in baptismo Jesu.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — **Jesus valedicit Matri.**

1° Hæc separatio, hæc cessatio cohabitationis dura esse debebat JESU et Mariæ. Tam ardenter se invicem amabant! Per tot annos illis communia fuerant omnia, læta et tristia. Qualis mater! Qualis Filius! Et ecce Filius tam carus valedicit Matri amantissimæ. Quare? Quia id exigebat gloria Dei, exigebat salus mundi. Id etiam exigebat nostra sacerdotum institutio atque cultura. Voluit enim JESUS nobis ostendere quam necessarium sit viro apostolico quod dictum est aliquando Abrahæ: « Egredere de terra tua et de cognatione tua. » (Gen., XII, 1.) Id postea *verbis* docuit JESUS, dicens: « Omnis qui reliquerit domum...propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.» (Matth.,XIX, 29.) Et: «Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.» (Matth., X, 37.) An jam nullus posset me retinere affectus, quin sim in manibus superiorum instrumentum *aptum* et *semper paratum* ad omnia, quæ pertinent ad

gloriam Dei et ad salutem animarum? « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. » (Ps. LVI, 8.)

2° Piis oculis conspiciamus JESUM proficiscentem. Quam *pauper* est, quam *generosus*, quam *sui compos*, quam *modestus!* Ecce incedit sine pompa, sine strepitu, sine commeatu. Facile est videre ipsius conversationem esse in cœlis. — Sic ostendit nobis JESUS *quales* debeamus esse in *itinere*, ita scilicet ut omnibus nos videntibus præfulgeamus *modestia* vere sacerdotali, *mentis recollectione* et congrua *paupertate*, minime affectantes modum iter faciendi magnatum.

3° Ecce descendit superior ad inferiorem, Dominus ad servum, Rex ad militem, JESUS ad Joannem. Quare? *a)* Ut significet suis viris apostolicis quomodo debeant cum caritate se inclinare ad minimos fratres suos, in sacro ministerio constitutos, ut animos eorum erigant, ipsorum conatibus stimulos addant, et, si opus fuerit, opportuna eos recreent consolatione.

b) Ut intelligamus JESUM libenter

venire ad eos qui, ut S. Joannes, manent generose ubi eos vult esse Dei providentia ; qui dediti sunt operibus pœnitentiæ ; qui zelant zelum gloriæ divinæ.

O mi JESU, quoties ego imprudens me privavi tua jucundissima visitatione, *murmurando* de conditione mea, de meo munere, de populo curæ meæ commisso ! Quoties me privavi tua visitatione, *fugiendo pœnitentiæ molestias*, indulgendo sensualitatis delectamentis! Quoties me privavi tua visitatione *pigritando*, in operibus apostolatus mei! Da mihi, quæso, gratiam deinceps melius imitandi admirabilem tuum præcursorem, quem postea tantis extulisti laudibus.

II^um^ PUNCTUM. — **Jesus a Joanne baptizatur.**

Consideremus *personas*, audiamus *verba*, inspiciamus *opera*. Omnia hæc spirant profundissimam humilitatem.

1° *Personæ*. Intueamur JESUM *inter peccatores*, in *humili loco* constitutum, sed valde *speciosum* et *amabilem*. Exor-

ditur igitur vitam suam publicam *ab actu humilitatis*. Nos autem sæpe incipimus opera nostri ministerii *ab actu superbiæ* et *vanitatis*, nos ipsos jactando et quærendo videri et apparere aliis superiores. Quam longe, o JESU, hæc nostra agendi ratio a tua distat!

2° *Verba*. Audiamus *Joannem* se excusantem verbis sinceræ humilitatis: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me!» Joanni, ob indignitatem suam recusanti eum baptizare, audiamus dicentem *Christum*: « Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. » (Matth., III, 15)

Egregie nos hic docet amantissimus magister quomodo viros apostolicos deceat *justitia*, non qualiscumque, sed *omnis*, non ex parte, sed omnino. Innuit etiam impleri omnem justitiam per humilitatem.

3° *Opera*. *a)* Joannes *obedit simpliciter*, et sic obediendo utile præbet exemplum illis, qui, prætextu indignitatis, *obstinate* negant accipere munus contra manifestam superiorum voluntatem

b) JESUS *accipit baptismum*. Quare,

o mi Jesu? Nonne ut significares viris apostolicis omnem arripiendam esse occasionem animum magis ac magis purificandi, ut qui « justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc? » (Apoc., xxii, 11.) Sunt enim qui in privata vita solent esse diligentes in utendo *purificatis instrumentis*, examine, confessione frequenti, operibus pœnitentiæ; verum dum versantur in exercitio apostolatus, quasi iis non egeant, sensim ea instrumenta parvi faciunt, cum tamen, eo tempore, quam maxime eis indigeant.

c) Jesus voluit accipere baptismum *de manu* Joannis, ut servo suo fideli conciliaret *auctoritatem* et omnibus probaret esse inter se et Joannem maximam *unionem*. — Utinam viri apostolici confratrum suorum auctoritati consulere studerent, sedulo vitando quidquid apud alios eorum possit minuere existimationem! Utinam omnes, ad propellendum currum divinæ gloriæ, *unanimi* conatu, conjunctisque viribus manus admoverent! « Unio parit fortitudinem! »

III^um^ PUNCTUM. — **Descendit super Jesum Spiritus sanctus.**

« Ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » (Matth., III, 16, 17.)

1° Contemplemur cœlites atque ipsum Deum cum gaudio et complacentia aspicientes Christum in humilitatis actu constitutum, quo implebatur omnis justitia.

O Domine, quam sæpe ego a me averti benignos tuos oculos ob defectum humilitatis. Dixisti enim per prophetam tuum : « Quoniam excelsus Dominus et *humilia* respicit, et *alta* a longe cognoscit. » (Ps. CXXXVII, 6.)

2° Declaratur authentice *Filius Dei*, ergo Rex noster, cui omnes reverentiam et obsequium præstare tenentur. Et de hoc gaudebo, o JESU, ex toto corde, quia amo te.

Consideremus JESUM *tum* accepisse suam authenticam missionem *cum* se separasset a dilecta matre sua et se hu-

miliasset baptismum suscipiendo. Intelligamus igitur tunc dari viris apostolicis missionem divinitus authenticam, ubi eos viderit Deus liberos ab omni affectu humano, vere humiles et sacerdotali puritate splendentes.

3° Descendit Spiritus S. sub forma columbæ, ut patefiant mundo Jesu cordis mundities animique candor et simplicitas. Et quisnam fuit sensus humillimi Jesu sic glorificati? Sane hinc *dolebat* jam se pluris fieri, et amplius ab hominibus honorari; inde *gaudebat*, quia videbat omnia ista redundare in gloriam Dei Patris et salutem mundi. Discamus non libenter laudes nostras audire, nisi ex his augeatur Dei gloria, et sint ad exemplum et utilitatem proximi.

O mi Jesu, quam vere dicturus es postea: « Qui se humiliat, exaltabitur. » Fac potenti tuo auxilio ut hæc tua jucundissima verba etiam in me suam veritatem sortiantur. Amen.

CONSIDERATIO.

De cruce sacerdotali (3°).

Crucis sacerdotalis jucunditas.

Prima jucunditas est, firma persuasio omnem nostram crucem venire a Deo. Credas, o sacerdos, firmiter, nihil posse tibi accidere nisi quod vult aut permittit Deus ; Deum autem unice velle et permittere id quod scit tibi esse optimum pro tua salute æterna. Hinc in omni tua tribulatione consolaberis consolatione vera, dicendo cum S. Paulo : « Scio quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Scio quoniam « quem diligit Deus, castigat, flagellat autem filium quem recipit. » Quam merito dicebat S. Theresia : « Quod majus signum volunt homines divini erga se amoris, quam si fiant participes crucis ? » Nonne igitur, o sacerdos, tibi jucundum est intelligere omnem tuam afflictionem, undecumque venerit, esse *donum Dei* et *signum* certissimum *Dei erga te amoris ?*

Secunda jucunditas est, firma persuasio ex cruce multa homini nasci emolumenta. Etenim nullus est sacerdos qui non didicerit propria experientia, per res suas adversas intellectum suum fuisse magis illuminatum, voluntatem roboratam, totum denique hominem firmiorem factum esse, prudentiorem, sagaciorem, fortiorem.

Quam jucundum nobis est audire S. Chrysostomum dicentem: « Tribulationes nostras esse *aratra* veluti quædam, quæ quo magis terram scindunt, et huc atque illuc invertunt, aptiorem et fecundiorem reddunt. » Quam jucundum est eumdem S. Doctorem audire et hæc alia dicentem : « Quod *ignis* est auro, hoc est animis tribulatio, *sordem abstergens*, *faciens mundos*, *claros reddens* et *splendidos*. » Quam jucundum est audire S. Augustinum dicentem tribulationes nostras similes esse *torculari*, in quo fructuosa est pressura. Quam jucundum est audire Ven. Balthasarem Alvarez asserentem omnem tribulationem esse *grandinem auream*. Quam jucundum est audire S. Bernardum dicentem præsentem tribulationem viam esse *vitæ*, viam *gloriæ*, viam *civitatis*, viam *regni*. Uno verbo quidquid dictum est de *crucis utilitate* aptum est animum sacerdotalem *jucundare*.

Tertia sacerdotis *jucunditas* est firma persuasio, se ad exemplum Ducis sui amantissimi, per crucem suam daturum Deo plus gloriæ quam omni alia arte ; se per crucem intrare in gloriam suam veram, cœlestem, æternam; se denique cruce sua, si ea bene utatur, ovibus sibi concreditis aperturum esse cœlum, clausurum infernum. Non enim ignoras, o sacerdos, te animas ereptum ex faucibus inferni easque inserturum

cœlo, non solum concionando, sacramenta administrando, scholas erigendo, sed præsertim sustinendo cum humilitate et patientia ea quæ pateris sive in corpore, sive in anima, sive in honore. Hæc generoso animo offeras Deo, et pro mercede singularem de cœlo accipiet parœcia tua benedictionem.

Quarta sacerdotis *jucunditas*, omnium maxima, est firma persuasio se per crucem suam habere *similitudinem* cum Filio Dei.

Hinc intelligere est, quomodo *sanctis* nihil carius, nihil optatius accidere potuerit quam multa pati in eo ordine dolorum in quo passus est Christus. Intelligere est quomodo avidi fuerint opprobriorum et cruciatuum.

Videte apostolos. Quanta voluptate carceres et flagella patiuntur ; quomodo gloriantes et gaudentes a conspectu concilii redeunt ! Non illos contumelia et plagis affectos, sed honoribus auctos et lauro donatos inde procedere credatis. Quare sic gaudebant ? Quia recordabantur JESUM etiam flagellis subditum fuisse.

Videte in specie S. Andream. Vix aspexit a longe crucem sibi paratam, cum continere se non potest præ gaudio, et exsultans auditur exclamare : « O bona Crux, quæ decorem ex membris Christi suscepisti ; diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, et

redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. »

Videte S. Bernardum. Vix quis dicere possit quæ quantaque mala pertulerit, quot opprobria devoraverit, et tamen paulo ante mortem in ultimo sermone quem complevit super Cantica, loquitur quasi non tolerasset pondus diei et æstus, quasi laborem non sensisset et æstimasset eum vix horam durasse ; ubi enim, ait, *amor* est, *labor* non est, sed *sapor*. Utinam idem sapiamus et nos. Amen.

EXAMEN.

Circa silentium sacerdotale.

« Qui custodit os suum, custodit animam suam ; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. » (Prov., XIII, 3.)

Multiplex est sacerdoti occasio *tacendi*. Est enim silentium *sacramenti*, silentium *secreti*, silentium *prudentiæ*, silentium *caritatis*, silentium *humilitatis*, silentium *patientiæ*, silentium *fortitudinis*.

1° Silentium *sacramenti*. Stricte silet sacerdos circa ea quæ pertinent ad sigillum confessionis. « Qui confessionem quocumque modo irrisorie vel applicatorie denudant, gravius peccant proditore Juda. » (S. Ant. a Padua, Serm. 2 dom. 1 Quadr.) — An silentium sacramentale fideliter servo ?

2° Silentium *secreti*. An sufficienter tenax sum secreti mihi commissi ?

3° Silentium *prudentiæ*. Ex prudentia silentio premit bonus sacerdos quidquid lædere potest *famam* proximi, quidquid potest infringere *auctoritatem* superiorum.

An hæc fuit mea prudentia ?

4° Silentium *caritatis*. Ex caritate vitat bonus sacerdos uti joco et irrisione, si prævideat fratrem inde contristandum.

An hæc fuit mea caritas ?

5° Silentium *humilitatis*. Ex humilitate bonus sacerdos non dicit ea quæ essent ad ostentationem vel ad propriam laudem. — An hæc fuit mea humilitas ?

6° Silentium *patientiæ*. Ex animo vere patienti, non quærit bonus sacerdos alios attentos facere ad ea quæ patitur, sive verbo sive vultu tristiori ; mavult soli suo Deo ea nota facere. An hæc fuit mea patientia ?

Ad hoc silentium pertinet quod dicitur in libro Eccli., XI, 8 : « Priusquam audias, ne respondeas verbum. » Scilicet noli interrumpere alterum antequam sermonem absolverit. An hoc monitum Spiritus sancti observo ?

7° Silentium *fortitudinis*. *Lædi* et *silere*, summa est fortitudo, juxta vetus effatum... Hoc silentium JESUS in sua passione coram Pilato et Herode ad stuporem servavit, illudque S. Ambrosius vocavit *silentium*

triumphale. An hoc aureo silentio utor, quotiescumque video me humiliatum, injuriis læsum, despectum, irrisione vel detractione laceratum, injustis suspicionibus obnoxium, traditum oblivioni ?

O Domine, da mihi ut, sicut de te dixit S. Augustinus, contra dolos inimicorum valeam dimicare *tacendo* Amen.

RECOLLECTIO XIII.

CONTEMPLATIO.

De nuptiis in Cana Galilææ.

1. Præl. In mentem revocemus quomodo initio suæ vitæ publicæ interfuerit JESUS cum B. M. V. nuptiis, quæ celebratæ fuerunt in Cana Galilææ.

2. Præl. Spiritu contemplemur locum nuptiarum.

3. Præl. Petamus a Deo gratiam JESUM et Mariam perfectius cognoscendi, ut eos ardentius diligamus, fideliusque imitemur.

Ium PUNCTUM. — **Personæ.**

1° *Jesus* et *Maria* non dedignantur interesse convivio nuptiali, ut captarent benefaciendi occasionem, ut nuptias sua præsentia honorarent, ut discipuli miraculo confirmarentur. — Non potest sacerdos non identidem interesse convivio, sive apud alios sacerdotes, sive apud laicos. Id exigit quandoque lex caritatis et utilitas animarum. Sed cavebit *prudens* sacerdos ne id fiat *frequentius*, et ne unquam sine *intentione*

rectissima. Parochiani enim si viderent pastorem suum facilius exeuntem ad *quamcumque* invitationem vel prandii vel cœnæ, scandalizarentur, minoris eum facerent atque irriderent, non sine magno detrimento animarum.

2° Oculis mentis conspiciamus Jesum et Mariam inter convivantes modestissimos, valde moderatos in edendo et bibendo, minime effusos in cibum, suavem præ se ferentes gravitatem, erga omnes blandos et sua dulcissima caritate omnium corda dilatantes. — Videat sacerdos an inter gaudia convivii, suæ forsan dignitatis oblitus, non levior appareat, in cachinnos erumpens, præcipitantius comedens, avidius bibens, narrans quæ labiis sacerdotalibus indigna sint, vel quæ mensæ inservientibus scandalo esse possint. Incredibile est quam multipliciter peccare possit sacerdos in conviviis, si effusior fuerit et parum sibi cautus. « Mirum ! dixit aliquis, quotiescumque pastor ad nos venit pransurus, statim *cessat esse sacerdos !* »

3° Consideremus eos qui Jesum et

Mariam invitaverant, non fuisse divites aut magnates, sed *pauperes*, qui sua morum honestate et sua singulari pietate Filii Dei ejusque benedictæ Matris amicitiam sibi conciliaverant. Quam felices! — Discet sacerdos *pauperibus* parœciæ *familiis* non minorem exhibere existimationem quam familiis quæ opibus aut dignitatibus principem occupant locum. Convenit ut pastor non solas videatur *invisere* oves quæ habitant palatia, sed etiam illas quæ vix ad habitandum nactæ sunt humile tugurium. Utinam bonus pastor vel semel in anno *omnes* domos parœciæ, nulla neglecta, sua *visitatione* paterna dignaretur? Parœciam cognosceret melius et *omnium* parochianorum animos conciliaret.

II^um^ PUNCTUM. — **Verba.**

1° Beatissima Virgo, semper amabilis, semper benigna, semper de necessitatibus aliorum sollicita, cum vinum deficere videret, atque existimaret inde sponsis fore confusionem, dicit Filio : « *Vinum non habent.* » — Profecto hæc

nobis meditantibus necessario subit *ingens fiducia*, nos quidvis per optimam Jesu matrem esse impetraturos ; quæ enim ultro non rogata tam sollicita est, quid non faciet pro devotis sibi servulis ? O Maria, si benignissimum cor tuum cognosceremus melius, frequentius et confidentius tuum imploraremus auxilium, nec unquam non auditos dimitteres.

2° Attendamus *brevem* et *fortem* orandi modùm, quo utitur sanctissima rogatrix. Non ignorat sufficere tam bono Domino et tam potenti necessitates suas indicasse, ut statim eis subveniat. Quam utile, quam jucundum esset sacerdoti, si in quacumque tribulatione constitutus, statim adiret Tabernaculum, et, ad exemplum Mariæ simpliciter Jesu exponeret præsentem necessitatem !

3° Dilectæ Matri respondet Jesus, « *Quid mihi et tibi mulier ? Nondum venit hora.* » Varie varii hæc verba explicant interpretes. Juxta nonnullos, sensus verborum est : *Quid ad nos ista ?* In specie, ait quidam, id duriuscule,

recte tamen: *a)* ut doceret nos, non esse Deo præscribendum tempus necessitate pressis auxiliandi; *b)* ut daret sanctæ Matri occasionem exercendi humilitatem et patientiam, quibus eam sciebat delectari. Discat sacerdos eodem affectu eademque animi gratitudine a Deo excipere et læta et tristia, prospera et adversa.

4° Dixit Maria ministris: « *Quodcumque dixerit vobis, facite.* » Quis non miretur Mariæ fiduciam? Quid aliud dicere potuisset, si JESUS spopondisset se facturum quod peteretur? Noverat Maria Cor JESU; sciebat JESUM nihil unquam negaturum petenti *humiliter*, quærenti *confidenter*, pulsanti ad ostium Cordis *constanter*. Discat sacerdos non desistere ab oratione, etiam si videatur hucusque sine fructu ad Deum suas preces fudisse. Nunquam obliviscatur JESUM dixisse: *Qui petit, accipit; qui quærit, invenit; pulsanti aperietur.* Nunquam obliviscatur JESUM dixisse illum, qui inter orandum non hæsitaverit, obtenturum petita.

5° Qui aderant convivio, dixerunt

sponsis : *Omnis homo primo bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Potest quis, non sine fructu, considerare quomodo hæc verba convivarum cum veritate applicari debeant rationi agendi dæmonis, mundi et carnis. Solent enim mancipiis suis, post momentaneas delicias, præbere calicem tristitia, tædio, amaritudine plenum. Non sic tu, o mi JESU ! sed pro multitudine dolorum assuevisti dare multitudinem consolationum.

III^um^ PUNCTUM. — **Opera.**

1° *Christus* jubet ministris sex hydrias hic positas implere aqua, et sua omnipotenti voluntate subito aquam in vinum pretiosissimum convertit. Obstupescunt *ministri*, exsultant gaudio *discipuli*, *sponsi* confusione liberantur, et *convivæ* miraculoso potu recreantur. Quam bonus, quam suavis es, o Domine JESU! O si homines, si saltem sacerdotes te cognoscerent, sine dubio ponerent in Te, infinite sapienti, infinite potenti, omnem spem suam; nihil timerent, omnia sperarent, et sic ipsi eva-

derent sapientissimi et potentissimi, et fructuosius in vinea Domini laborarent. O Domine, adauge in me fidem, adauge in me fiduciam.

2° Congratulemur Mariæ quod humili sua prece tantum a Filio obtinuerit miraculum. Non exigua ejus gloria est quod Jesus in gratiam Matris acceleraverit tempus miracula patrandi. Non mirum post hæc, jam ab initio Ecclesiæ fideles assuevisse omnia sperare a Deo per Mariam, et spiritualia bona et temporalia.

3° Nihil nos impedit quin ex ipsa consideratione *hydriarum* aliquem fructum colligamus. In sensu mystico, o sacerdos, hydria tua est *cor* tuum. Imple hydriam tuam aqua *compunctionis*, aqua *compassionis*, aqua *devotionis*, et Maria interveniente, et Jesu benedicente, inde hauries *vinum* cœlestis consolationis. Nonne cœlestis consolatio est *gaudium* quod in se experitur sacerdos, qui sincera confessione et humili contritione in lacrymis suis delevit peccata sua? Nonne lacrymæ S. Petri conversæ sunt in fontem maximorum gaudiorum?

CONSIDERATIO.

De mala negotiatione spirituali.

Animadvertendum est magnum esse discrimen inter illum qui in negotiatione sua *humana* dilabitur ad ruinam usque, et illum qui jacturam facit *regni cœlorum*. Prior enim *absque culpa sua* pati potest ruinam; posterior autem nunquam amittet regnum cœlorum nisi volens et sciens, *nisi propria sua culpa*. Ergo in explicanda nostra evangelica comparatione supponimus negotiatorem hujus sæculi qui *sua culpa* incidit in egestatem.

Quomodo igitur aliquis fieri potest *decoctor?*

Multiplici modo.

I. *Otiando*. Negotiatio *otiosa* est negotiatio *ruinosa*. Nemo est quin id confiteatur. Quomodo enim opus suum perficiet homo qui dormit, dum laborare debebat; qui, dum veniunt emptores, ipsis exhibet officinam clausam?

Quam multi amittunt regnum cœlorum propter *otium* et *pigritiam!* In Eccle., X, 18, legitur: « In pigritiis humiliabitur contignatio. » Scilicet per pigritiam et tepiditatem in servitio divino destruetur omne, quantumcumque est, ædificium spirituale.

Videat sacerdos an ex hac parte non sibi timenda sit ruina Ecce summo mane adstat

ad ostium nostræ officinæ et pulsat divinus noster emptor, Dominus JESUS, commutaturus cum maximis gratiis dimidiam horam meditationis. Sed proh dolor! clausam invenit officinam ; jacet adhuc in lecto negotiator spiritualis ; transit ergo divinus emptor, et amissa est occasio optimæ negotiationis. Si hoc sæpius accidit, si hoc accidit quotidie, sine ullo dubio ruina erit. Brevi dicetur de illo: « Cecidit et facta est magna ruina. » Abhorreamus a pigritia. « Tam pretiosum est tempus, dicit S. Antoninus, ut damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo uno momento. »

II. *Bibendo et lautius vivendo.* Nonne multæ familiæ perierunt eo quod vel vir lagenis nimis et inopportune indulserit, vel mulier ejusque filiæ sumptuosius vestiri solerent? Id pertinet ad historiam quotidianam. Utinam idem non accideret in negotiatione spirituali! Sed quam multi paulatim pervenerunt ad jacturam salutis æternæ, eo quod nimium cedere assueverint sensibus et vitæ commodis. An sub hoc respectu nihil nobis timendum est? An sufficienter mortificati sumus? An non præbemus adversariis nostris ansam suspicandi, nos nimis quærere ea quæ sensibus nostris placent?

III. *Res suas negligendo.* Negotiatorem facile dimittunt homines, quando non prompte

et accurate ea, quæ emunt, expediuntur. Propter continuam negligentiam et incuriam amittitur clientum fiducia. Sic in nostra negotiatione omnis negligentia secum suam fert pœnam; et omnes qui scripserunt de ruina religiosa, inter alias causas ruinæ enumerant frequentem negligentiam in rebus ad officium nostrum pertinentibus. Non unus pastor pessumdedit auctoritatem qua pollebat apud subditos suos, eo quod inceperit negligere munditiem et ordinem in ecclesia, et eo quod jam non perficiebat officia muneris sui statutis horis.

IV. *Merces suas falsificando.* Quot negotiatores ruinam fecerunt et *fortunæ* et *famæ*, quia, ut citius et copiosius ditescerent, non dubitarunt mercibus vendendis miscere substantiam valetudini nocivam. Detecta fraude, improbitatis nota ignominiosi perierunt.

In vita sacerdotali dicendi sunt falsificare merces suas illi qui in laborando non curant *rectam intentionem*, vel qui, « ad oculum servientes, » *defectu sinceritatis* superiorum fidem fallunt.

V. *Speculando imprudenter.* Quis ignorat potentissimas domus et familias honestissimas vel unico momento ad nihil redactas fuisse una imprudenti speculatione? Eorum exemplum nobis inserviat ad vitandam similem imprudentiam.

In ordine spirituali *speculationem imprudentem* voco illam agendi rationem quæ, seponens vel negligens *principia fidei*, unice nititur *principiis humanis*. Hæc autem imprudens speculatio locum habere potest in multis casibus, quorum utile erit aliquot indicare.

1° Imprudenter speculatur sacerdos qui, addictus educandæ juventuti, totus est in adhibendo media *humana* ad formandos alumnos suos, et qui negligit media spiritualia, ut est oratio, mortificatio, pietatis exercitia, bonum exemplum.

2° Imprudenter speculatur sacerdos qui, quando patitur adversa, negligit quærere consolationem apud Deum, apud B. M. V., apud superiores suos, et eam quærit apud laicos, quos melius est nostras domesticas ignorare miserias.

3° Imprudenter speculatur sacerdos qui, dum se sentit interius impelli ad vitam sanctiorem, sinit se superari *respectu humano*. Vellet melior esse, et non audet; timet irrisiones confratrum! O sacerdos, esto vir; ostende te independentem ab humanis judiciis; ostende te superiorem toti mundo!

4° Imprudenter speculatur sacerdos qui, nunquam contentus sua sorte, præbet aures dæmoni susurranti: « Ascende superius. » Ipse ille seductor ascendere voluit altius, usque ad thronum Dei, et delapsus est in infernum.

5° Imprudenter speculatur sacerdos qui, spernens monitum Spiritus sancti, non abhorret a consortio mulieris inutili et frequenti, sibi permittens quæ licita non sunt, et fidit muliebri silentio !

6° Imprudenter speculatur sacerdos qui non aliud quærit quam *se* et *sua*. Unice amat *suam* voluntatem, *suum* judicium, *suam* utilitatem, *suam* gloriam, *sua* commoda. Nihil generosi in eo, nihil excelsi. Solus est et solus manet. Res sane durissima vivere solum.

7° Imprudenter speculatur sacerdos qui ita se in circulo concludit ut nulla vis eum inde extrahere valeat. Aliis officia præstabit quæ ipsi placent; quæ non placent, negabit. Obliviscitur imprudenter quod dixit S. Paulus: « Qui parce seminat, parce et metet. » Illiberalis es, o sacerdos, erga fratres, erga superiores; illiberalis erit erga te Deus.

8° Imprudenter speculatur sacerdos qui sinit se illaqueari invidiæ vitio. Quam miseri sunt illi qui *invido oculo* vident fratrum suorum successum !

EXAMEN.

Circa sinceritatem sacerdotalem.

Sinceritas est virtus qua *verbis* aut *signis* manifestamus res, prout in se aut saltem in mente nostra sunt.

Sinceritas sacerdotis extendat se oportet ad *Deum*, ad *superiores*, ad *æquales*, ad *subditos*, ad *seipsum*.

1° Sinceritas erga *Deum*. An inter orandum, coram Deo adversum me confiteor iniquitatem meam? An ex corde percutio pectus cum publicano contrito? An non forsan cum superbo Pharisæo me extollo aliisque me præfero?

2° Sinceritas erga *superiores*. An non servio ad oculum, in præsentia superioris me alium exhibens quam sum ipso absente? An ipsi interroganti soleo aperire totam veritatem? An non utor ambagibus verborum, restrictione mentali, duplicitate?

3° Sinceritas erga *æquales*. An non facilius obtego veritatem, res quas narro exaggerando, mutilando, interpretando malitiose? — An non laboro tristi consuetudine mentiendi, ita ut qui me cognoscunt, verbis meis fidem addere non audeant?

4° Sinceritas erga *subditos*. An non utor ad eos gubernandos politica ratione? Hoc nihil detestabilius, et ad pessumdandam auctoritatem aptius.

5° Sinceritas erga *se*. An in examine conscientiæ mihi manifesto memetipsum, ut errata mea et meos defectus cognoscam atque toto corde detester? An non memetipsum miror et magnifico, eo quod vix unquam et non nisi obiter ad cor soleo redire?

O Spiritus veritatis, qui diligis veritatem, fac me quoque eam diligere. Amove a me omnem simulationem, falsitatem et mendacium ; scio enim scriptum esse : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium.» (Ps. v, 7.)

RECOLLECTIO XIV.

CONTEMPLATIO.

De Christi ambulatione super aquas.

1. Præl. Recordemur quomodo JESUS discipulis in naviculam abire jussis, dimissa turba, ascenderit in montem orare et discipulis in tribulatione constitutis occurrerit, Petrumque ne mergeretur impediverit.

2. Præl. Petamus robur et constantiam in laboribus ac tribulationibus, gratiamque veræ fidei erga Christum.

I^um PUNCTUM.— **Jesus solus orat in monte.**

1. Dominus JESUS, post miraculosam panum et piscium multiplicationem, cogit discipulos suos conscendere in naviculam et transfretare, ut providus Pater a suis amoveat vel minimum succumbendi tentationi periculum. Sciebat enim quam fragiles etiamtum essent et ad *vanam gloriam* proni. Timendum autem erat ne, intellecta turbæ voluntate eligendi sibi JESUM in regem, cor aperirent studio et cupiditati honorum. Confidenter igitur nos committamus

Providentiæ Illius,qui, ut ait Scriptura, « faciet etiam cum tentatione proventum. » (I Cor., x, 13.)

2. Ægre se separant a Jesu discipuli, sed urget jussio ut naviculam *obedientiæ* ingrediantur. Jesum autem solus secedit in montem, tum ut plausum et favorem plebis declinet, tum ut in illo secessu cum Patre tranquillius conversari valeat. — O mi Jesu, doces me sacerdotem minime cunctari posse in obediendo tuæ voluntati, licet videar obediendo privandus tuæ præsentiæ suavitate ; doces me studiose declinare illos a quibus spes est aliquid honoris percipiendi, cum soleam ego imprudens fugere eos quos apprehendo *minus honorifice* et tamen *vere* de me sentire ; doces me,re feliciter peracta, confugere ad solitudinem, ut longe a tumultu et strepitu hominum cum Deo meo colloqui possim.

3. Qualis fuit, o mi Jesu, tua in monte oratio ! Videor mihi te videre summa cum reverentia te sistentem Patri tuo præsentem, et, genibus flexis, toto corpore in orationem composito,

familiariter cum Patre *conversantem.* Sane tua oratio fuit *ingens desiderium.* Dicebas quam ardenter desiderares *gloriam* ejus totiusque mundi *salutem ;* idque non frigide sed ignitis verbis, suspiriis sanctis et lacrymis. Oratio tua fuit *ingens oblatio.* Ut enim desiderium tuum piissimum impleretur, offerebas Patri labores tuos, tuas ærumnas, tua opprobria, sudorem et sanguinem, ipsumque vitæ sacrificium. Oratio tua fuit admirabilis *actus caritatis :* Patri commendabas dilectos tuos discipulos tunc ex obedientia contra tumultuantes fluctus obluctantes ; eorum defectus excusabas, laudabas virtutes et bonam voluntatem ; simul pro ipsis gratias efflagitabas uberrimas.

Utinam, o mi Jesu, talis sit deinceps mea oratio, desiderium ingens, ingens oblatio, eximius erga meos subditos actus caritatis. O Jesu, doce me orare.

II^um^ Punctum. — **Apostoli conturbantur.**

1. Licet apostoli in *navi* sint *obedientiæ,* obnoxii tamen sunt tempestatibus et procellis. Sed si navicula obedientiæ

agitari potest, *perire* non potest ; dixit enim Spiritus sanctus : « Vir obediens loquetur victoriam. » (Prov., XXI, 28.)

Ergo non jam mirabor in meo munere, in mea statione, in qua posuit me obedientia, esse *difficultates ;* sed hac suavissima persuasione sublevabor, me, quamdiu versor inter limites obedientiæ, minime posse perire.

2. *Tenebræ* erant et *mare, vento magno flante, exsurgebat.* (Joan., VI, 16-21.) Navicula autem in medio mari *jactabatur fluctibus ;* erat enim *contrarius ventus.* (Matth., XIV, 23-33.) Quid apostoli ? a) *Laborabant in remigando.* Licet omnia sibi accidere videantur contraria, Deo permittente, non despondent animos, sed pergunt in lucta generosa contra tumescentes fluctus. — Quam sæpe, ingruente vel minima procella, consistimus et opus forti animo susceptum deserimus ignavi ! Faxit Deus ut nunquam e mente elabatur verbum JESU, « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei. » (Luc., IX, 62.)

b) *Conturbati sunt ;* male quidem et

frustra. Apostolum decet se *virum* exhibere *intrepidum ;* nititur enim omnipotentia et infinita sapientia Illius qui elegit eum jussitque eum in mediis fluctibus versari. — Nonne *nostra* etiam frequens animi *turbatio* inde oritur quod non sufficiens est nostra in Deo fiducia? Dicam igitur in omni re difficili et adversa: « Dominus regit me, et nihil mihi deerit (Ps., XXII, 1) ; et : « In Deo meo transgrediar murum *difficultatum et adversitatum.* » (Ps., XVII, 30.)

c) Viso JESU, *præ timore clamaverunt.* Profecto multo melius fecissent, si JESUM humili prece in auxilium vocassent. Sic nos sæpe in nostris difficultatibus inopportune clamamus, nostras tribulationes circumferentes, easdemque super tecta prædicantes, obliti clamare ad Dominum.

d) Videntes JESUM ambulantem supra mare, putant *phantasma* esse, etsi tamen JESUS erat! Sunt qui Christum esse putant phantasma, qui scilicet nullis revelationibus aut inspirationibus credunt, aut eisdem detrahunt. Ego sequar regulam traditam ab Apostolo:

«Nolite *omni* spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint» (I Joan., IV, 1); an conformes *rationi* aut legibus divinis? an *tranquillos* vos reddant? an *humiles* et *obedientes?* nec *fidentes proprio judicio?*— Nonne habeo ut phantasma, quod fugiam, aliquam personam tædium mihi creantem, vel aliquod officium mihi molestum, in quo, si haberem fidem, agnoscerem ipsum JESUM?

III^um^ PUNCTUM. — **Tempestas sedatur.**

1° Videns eos JESUS laborantes in remigando, venit ad eos ambulans supra mare. En JESUS noster! Quam sollicitus erga suos! Nunquam eis deest laborantibus. « Statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. » (Marc., VI, 50-51.)

O tu, bone sacerdos, qui versaris in media tempestate tentationum, scrupulorum, desolationum, macte animo et confide! Veniens veniet et non tardabit. Forsan propter fluctus quibus te vides circumdatum, putas JESUM tibi non

posse auxilio venire ; sed ecce talis est auxiliator tuus, qui valeat ambulare super fluctus agitatissimos. Veniet super fluctus, ingredietur in animam tuam, et tranquillitas erit magna.

2° Petrus more suo cæteris ferventior: *Domino,* inquit, *jube me venire ad te super aquas.* Petitioni benignus annuit Jesus. Fixis in Jesum oculis Petrus firmo passu ambulat super aquas ; sed statim ac vultum intendit in ventum validum, titubat et incipit mergi, tremensque clamat ad Jesum : *Domine, salvum me fac.*—O Domine, si semper ad te oculos convertissem, nihil formidassem, sciens me omnia posse in eo qui me semper paratus est confortare. Sed eheu! quia sæpius meipsum aspicio, meis confidens viribus, mergor aquis difficultatum, te mihi increpante, ut olim Petro: « Modicæ fidei, quare dubitasti? » Non sic in posterum, o mi Jesu !

CONSIDERATIO.

De vita sacerdotis mari comparata.

Referente S. Bonaventura, S. Gregorius M. scripsit: « Vita mea *naviganti* simi-

lis est ; sive dormiam, sive vigilem, semper vado festinus ad mortem.» (Soliloq., Exerc. III.) Et poeta quidam christianus :

Vita mare est ; res plena metu, res plena tumultu.

Atqui per hoc mare agitatissimum et periculosissimum tibi, o Sacerdos, transvehenda est navicula tua, usquedum pervenias ad portum desideratissimum, qui est *cœlum.*

Ut autem hunc portum navicula tua feliciter attingere valeat, necesse est ut eam prudenter subtrahas innumeris periculis, quibus objicitur quisquis se maris fluctibus committit.

Non absre erit ea pericula attentius considerare quæ nautæ, in ordine naturali, quam maxime dicuntur formidare. Sunt autem *tempestas*, *scopuli latentes*, *malacia* et *piratarum* præsentia.

I. *Tempestas.*

Dum, orta procella, cœlum oppletur nubibus, venti mugiunt, fulgura coruscant, et, fluctibus tumultuantibus, sursum deorsum jactatur navis ; omnes, qui in ea sunt, perturbatis mentibus, misere conclamant, act desperatione. Tunc nauclerus, *imperterrito oculo* periculum conspiciens, *intrepida voc* jubet quæ necessaria sunt, ut quam primum navis in proximum *portum* conjiciatur, e sic agendo sua dexteritate et animi fortitudine vectores a certa morte liberat.

In ordine morali *tempestas* est quævis vit

tribulatio. Hanc, quantacumque sit, *aspiciat* sacerdos *oculo imperterrito*, sciens eam a Deo permissam ad majus servi sui bonum, eamque *animo forti sustineat*, et statim se totum conjiciat in *portum* tutissimum, in sinum divinæ Providentiæ per generosum actum *conformitatis* cum voluntate Dei. « Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » (Matth., XI, 26.)

II. *Scopuli latentes.*

Non minimum neque rarum hoc naufragii periculum. Nempe exstant in mari prope littora continui scopuli, quorum summa pars vix non æquat aquam ; ita ut a longe non conspiciantur. Quod si imprudens gubernator in hos scopulos impegerit, pereat, necesse est. Quapropter quivis prudens nauta, detecta scopulorum præsentia, inhibet subito navigii cursum, et deinde, caute inter scopulos navigans, nitensque remis in summitate scopulorum, prudentia sua certum naufragium evadit feliciter.

In vita spirituali *scopuli* sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ ; quæ nimirum sunt *latentes* quædam *inclinationes* ad ea quæ perfectioni sacerdotali contraria sunt. Has tentationes bonus sacerdos abjicit *promptissime*, non ludendo cum inimico : *caute*, orando et vigilando ; *dextere*, utendo ipsa tentatione ad eliciendum actum amoris Dei.

III. *Malacia* seu *segnities maris.*

Quis ignorat multos hoc genere naufragii periisse? Ecce medio mari, propter cessationem ventorum et aquarum tranquillitatem, sole splendente, *immobilis* detinetur navis, ita ut neque progredi queat neque retrocedere. Interea tædio et mœrore pereunt vectores, exhauriuntur cibaria et unus post alterum lenta et tristissima morte consumitur.

Malacia spiritualis consistit in hoc, ut quis vel *nihil faciat*, vel faciat *parum*, vel faciat *nugas*. Nemo non intelligit quam turpe sit sacerdotem, divinitus licet vocatum ad opera maxima pro gloria Dei et pro salute animarum peragenda, *otio tabescere*, et sua socordia *jacturam* pati pretiosissimi thesauri *temporis*. Habeat igitur sacerdos in quo occupetur utiliter; et si copia desit prædicandi, scribendi, sacramenta administrandi, saltem tempus consumat in studendo rebus sacris, in orando, in operando manibus. Et quidquid facit, assuescat id facere *ordinate*, *diligenter*, nihil assumens quod sit supra vires. Utinam, sicut ope *vaporis* vel maximæ naves celeriter impelluntur, ita impellatur navicula tua, o sacerdos, ope *fervoris* spiritus! Jucundius navigares, tutius, celerius, et sine dubio ad beatum patriæ portum te, statuto tempore, advenisse gauderes.

IV. *Piratarum præsentia.*

Olim quando navis, onusta mercibus, portu relicto, in altum ducebatur, non raro petebatur a piratis ad deprædationem.

Sic, ut innuit S Gregorius Magnus, anima sacerdotis, pretiosissimis onusta mercibus, obsidetur a quibusdam *latrunculis*, qui eam omnibus exspoliare contendunt. Inter alios cavendum tibi est, o sacerdos, 1° a diabolo *dissipationis*. Conatur iste implere mentem tuam sollicitudinibus vanis circa futura contingentia. Oppone illi Sanctorum adagium : « *Age quod agis*, » et mente recollecta totus sis in re hic et nunc peragenda.

2° Cave a diabolo *dilationis*. Susurrat auribus tuis continue tristissimum principium, propter quod multi perierunt : « *Non hodie, sed cras.* » Tu, ne ad horam quidem differas quod peragere statuisti ; nam juxta sententiam antiquorum, « in rebus gerendis *tarditas* et *procrastinatio* odiosa est. »

3° Cave præsertim a diabolo *pusillanimitatis*. Sciens diabolus iste ad nihil utilem esse hominem animo fractum, omnem movere solet lapidem ut frangat animum sacerdotis. Quare huic, o sacerdos, *resiste fortiter in fide*, et in omni difficultate, in omni labore, in omni tentatione audi JESUM dicentem tibi : « *Confide, fili, noli timere, ego sum;* » eique gaudenter responde: « *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* »

EXAMEN.

Circa ambitionem.

« Ambitio est vitiosus quidam magnanimitatis excessus, quo quispiam honorem non debitum, aut debitum quidem, sed vel ardentius, vel ad alium finem quam oportet, concupiscit. » (S. Th., 2. 2., q. 131.)

Juxta Richardum a S. Victore quatuor sunt species ambitionis : prima est affectatio *libertatis*, secunda affectatio *dignitatis*, tertia affectatio *auctoritatis*, quarta affectatio *potestatis*. Juxta has species se examinet sacerdos, et forsan plura inveniet quæ corrigenda judicabit.

I. *Affectatio libertatis.*

1° An non frequentius excurro ut majori, quam alii solent sacerdotes habere, fruar libertate ?

2° An non *liberius* regulas, ad celebrationem missæ et ad sacramentorum administrationem præscriptas, quasi ex quodam contemptu transgredior?

3° An non *liberius* judico de aliis, etiam de superioribus, et liberius hoc judicium coram aliis profero ?

4° An non *liberius* loquor in malam partem de viris primariis, propterea quod non satisfecerint meæ petitioni ?

II. *Affectatio dignitatis.*

1° An non adspiro ad altiora munera ex

desiderio oculis aliorum apparendi, non autem glorificandi Deum?

2° An, ut aliquam dignitatem obtineam, vel aliquod officium speciosius, non mediis utor parum dignis sacerdote, *adulando* superioribus, *fingendo* me majoris scientiæ, præstantioris virtutis, et *jactando* merita quæ nunquam exstiterunt?

3° An non facile conqueror de promotione aliorum ad altiora munera, arguendo superiores de injustitia, et fratribus promotis turpiter invidendo?

4° An nactus aliquam dignitatem, non inde videor superbire aliosque habere contemptui?

5° An constitutus in altiori munere, non ago tyrannum, imperiosius jubendo et pondera humeris subditorum imponendo graviora?

III. *Affectatio auctoritatis.*

1° An, ut polleam auctoritate, non extollo me, mea jactando talenta resque a me prospere gestas in memoriam revocando, oblitus verbi JESU: Qui se exaltat, humiliabitur?

2° An non adeo amans sum meæ auctoritatis, ut non feram meos officiales in ea vel minimam partem habere, faciens ipse quæ ad eorum munus pertinent?

3° An non ex timore ne mea minuatur auctoritas, frequenter utor verbis duris, iracundis, injuriosis?

IV. *Affectatio potestatis.*

1° An non immisceo me multis rebus, ad meum officium non pertinentibus, ut apparéam vir magnæ potestatis?

2° An non etiam aggredior quædam quæ supra meas vires creduntur esse meoque ingenio imparia?

3° An non debeo mihi applicare quæ scripsit de quodam Innocentius III: « Subesse non patitur, præesse molitur, prælatis infestus, subditis onerosus; molesta non suffert, concepta non differt, præceps et audax, gloriosus et arrogans, gravis et importunus? »

O Domine, da mihi gratiam a pestifero vitio ambitionis in æternum abhorrendi!

RECOLLECTIO XV.

CONTEMPLATIO.

De Chananæa.

1. Præl. Mente recolamus historiam Chananææ, quomodo adiverit Dominum, eumque deprecata humiliter, obtinuerit quod petebat. (Matth. XV.)

2. Præl. Petamus a Deo gratiam imitandi Chananææ fidem, humilitatem, constantiam.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — Chananææ fides manifestatur.

1° *Egressa est de finibus suis.* Etsi Judæa non erat ista mulier, tamen famam et miracula JESU audiverat, ideoque firmiter credebat fieri posse ut filia sua sanaretur. Cum audiret JESUM non longe abesse, egreditur e finibus suis, ut conferat se ad domum in qua sciebat JESUM tunc cum discipulis commorari. Utinam sciremus et nos egredi e finibus nostris ad inveniendum JESUM! Fines autem nostri sunt amor noster *proprius*, amor *sensualis*, amor *carnalis*, *voluntas* nostra propria, judi-

cium proprium, commoda propria. Exeat ex his sacerdos, et confestim inveniet JESUM. Quapropter vehementer nos exhortatur magnus quidam vitæ spiritualis magister ad *agendum contra* hos multiplices amores, et simul asserit incredibile esse quantos progressus facturus esset homo in via sanctitatis, si sciret ex semetipso exire. Nonne et id luculenter confirmat ipse JESUS, dum dicit sequentibus se: « Qui vult venire post me, *abneget semetipsum* et tollat crucem suam, et sequatur me? » O Domine, doce me artem *memetipsum vincendi* ex amore tui.

2° *Clamat ad Dominum*, dicens: « *Miserere mei.* »

a) Non *frigide* sane implorat misericordiam JESU, sed ferventissime, *clamando* scilicet. O quam frigide solemus nos in auxilium vocare Adjutorem nostrum divinum! Faxit ipse ut identidem nos audiat *clamantes.*

b) Brevis mulieris est oratio, sed *fide* et *caritate* plena. Non sua merita prætendit, sed misericordiam implorat. Quod autem dicit *mei*, inde manifestat

vehementiam affectus sui: malum enim alienum, nempe filiæ, reputat suum. Habes, hic, o bone sacerdos, quod imiteris. Forsan vitam ducis non multis molestiis gravem; bona frueris valetudine; commoda vitæ tibi non desunt; gaudes omnium existimatione, et omnia tibi videntur arridere: propterea non putas clamandum esse ad Dominum. Sed in parœcia tua quot miseri, quot afflicti, quot pauperes, quot ægrotantes: et omnes hi filii tui sunt; ergo ita eis compatere ut merito pro eis dicere valeas JESU: « Miserere *mei*; » patior, Domine, in filiis meis; adjuva me, quæso, meos adjuvando; consolare me, meos consolando; mala enim filiorum meorum, mea mala sunt. Profecto talis oratio placet Domino.

c) Domine, fili David. Magna fides Chananææ hic notatur. Verum Deum et verum hominem JESUM confitetur: *Deum* credit, ubi *Dominum* vocat; *hominem* credit, ubi filium David vocat. Credimus et nos, o mi JESU, te Deum esse atque hominem; sed eheu! practice ostendimus plerumque quam

debilis sit hæc nostra fides. Si firmiter crederemus te hominem esse omnium perfectissimum, omnium amantissimum, cujus cor *patris*, cor *fratris*, cor *amici*, tum profecto ut ad patrem, ut ad fratrem, ut ad amicum confugeremus in omni nostra tristitia, in omni necessitate. Et si firmiter te crederemus esse Deum, nihil jam non auderemus a te sperare, utpote infinite bono, infinite potenti, infinite sapienti. O Domine, adauge fidem nostram, adauge fiduciam.

d) Reputans se indignam ut à Jesu exaudiatur, en, intercessores adhibet Apostolos, ita tamen ut ipsa pro se orare non desinat. — Ita nos ad patrocinium sanctorum recurramus ut interim quod nostrum est non negligamus.

IIum Punctum. — **Chananææ fides probatur.**

1° « Et non respondit ei Jesus verbum. »

Quare, o mi Jesu, huic mulieri, tanta cum simplicitate et tanta cum fiducia tuam misericordiam imploranti, ne ver-

bum quidem respondes ? Non sic assuesti agere erga miseros. Profecto non taces ex pharisaica superbia vel ex defectu miserationis. Sed, ut merito dixit servus quidam tuus, tacebas ut mulierem ad ferventius orandum excitares, probares constantiam, manifestares fidem. Forsan in nostra oratione et in actione gratiarum post missam, nihil nobis dicis, non ut probes constantiam nostram, non ut excites fervorem ; sed potius ut *punias* nostram tepiditatem, voluntarias distractiones, vel nimiam erga te illiberalitatem. — Forsan etiam non ad aures cordis nostri pervenit verbum tuum, quia circa cor nostrum nimius est strepitus ex sollicitudine rerum vanarum. Deinceps, o Jesu, dum orandum erit, mente recollecta, sincere et ardenter dicam : « Loquere, Domine, quia audit servus. »

2° Tandem succedit silentio Jesu verbum, sed quale verbum ! « Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. » Minime turbata est mulier similitudine, quæ ipsi asperior videri potuisset ; sed humiliter agnoscens quod

dicit JESUS, et magis se humilians, catello sese comparavit, cui, si integri panes non porriguntur, ut filiisfamilias, permittitur tamen ut edat de micis quæ cadunt de mensa dominorum. — Quis non mirabitur hujus mulieris *tranquillitatem animi, patientiam, humilitatem,* immo et singularem *sapientiam,* qua objicienti tam apte respondit ?

Quam longe abest hæc agendi ratio a nostra, qui minimo verbo, quo pungitur amor noster proprius, offendimur, conquerimur, vindictam sumimus, ad verbum asperum asperiori verbo respondemus. — Discamus a Chananæa ita prudenter et humiliter uti humiliationibus, adversitatibus, ut animo tranquillo agnoscamus nos merito sic a Patre nostro probari, et majora nos meritos esse mala quam quæ patimur.

III^um^ PUNCTUM. — **Chananææ fides remuneratur.**

« O mulier, magna est fides tua. »

a) His verbis ostendit JESUS se duriuscule hanc mulierem tractasse, ut posset ei largiorem impertire gratiam.

Quam jucundum fuit Chananææ audire ipsum JESUM coram suis apostolis exaltantem ejus virtutem ! Quantum nunc *gaudet* quod non impatienter tulerit silentium JESU ; quod non se ostenderit offensam repulsa illa, quam ab ipso aliquantisper passa erat ; quod humiliter admiserit asperiorem comparationem ; quod non diffisa fuerit de JESU benignitate ; quod non destiterit ab orando. Intelligere est quanto exsultaverit gaudio dum audivit JESUM dicentem : « Fiat tibi sicut vis. » Sic, o JESU, semper humiles exaudis preces servorum tuorum, dummodo non hæsitent inter orandum et non despondeant animum propter apparentem repulsam.

b) Ab *absente* Christo *absens* filia Chananææ sanata est. O sacerdos, tu semper habes JESUM *præsentem;* habitat enim juxta domum tuam in humili tabernaculo die ac nocte. Siste ergo ei temetipsum præsentem in omni tua anxietate ; ora Eum, ut Eum oravit Chananæa ; insta opportune, importune; pulsa ad ostium tabernaculi: promisit

enim se ostium aperturum pulsanti. E tabernaculo tibi dicet benignissimus Jesus, ut illi Chananææ dixit : « O sacerdos, magna est fides tua! Fiat tibi sicut vis ! »

CONSIDERATIO.

De periculis et de subsidiis sacerdotis.

Nullus est qui non confiteatur iis clericis qui vel degunt in seminario vel in communitate aliqua bene ordinata, minora esse *pericula salutis* et majora *sanctitatis subsidia* quam iis qui versantur in sacro ministerio aut in publicis quibusdam functionibus. Utile judicavimus dilectos sacerdotes, ad vitam publicam a superioribus deputatos, attentos facere ad ista *pericula*, ut ea vitent, et ad ista *subsidia*, ut ea fideliter adhibeant.

Viris apostolicis multiplex esse potest periculum.

Periculum est ex parte ipsius *sacerdotis ;* periculum est ex parte *personarum* quæ degunt in ipsius domo, vel quæ eam frequentant ; periculum ex parte *mundi*, in quo necesse est vivere ; periculum ex parte *dæmonis ;* periculum ex parte *Dei*, suos sacerdotes probantis.

1° Ex parte *sacerdotis.*

Periculum oritur ex *majore libertate.* Non

enim habet jam oculum superioris, non fratrum oculos; obnoxius est tentationi agendi liberius, liberius loquendi. Hinc etiam, ni caveat, *minor diligentia* ad corrigendos indolis seu naturæ defectus, qui quidem multum solent impedire sacerdotem, quin sit operarius secundum cor Dei. Defectus autem tales sunt amor sui... invidia seu zelotypia... durities... pigritia... inconstantia... socordia... impatientia... sensualitas.

2° Ex parte *mulierum*.

Magnum sacerdoti periculum sexus femineus! Caveat necesse est et ab illis mulieribus quæ frequenter conspiciuntur domum pastoris sub vario prætextu adire, et ab illis quas contingit sub pastoris tecto commorari. Quis ignorat propter mulieres vel sapientissimos periisse? Quot et sacerdotes, qui mulieris illecebris illaqueati miserrime perierunt! Non igitur mirum est sanctum Augustinum suos clerosadmonitos voluisse, ut ne *piis* quidem et *sanctis* fiderent mulieribus; nam, aiebat, quo sanctiores, eo subtilius alliciunt corda. Hortabatur eos sanctissimus præsul ad habendum cum eis sermonem *parcum*, et potius *severum* quam blandum. Quam sæpe, quod inceptum erat in spiritu, consummatum videmus in carne! Cum horrore audit sacerdos sanctum Ambrosium non dubitasse nomine *diaboli* insi-

gnire omnem sacerdotem suæ castitatis oblitum. Sed, cum nemo fiat repente summus, quisquis extremum malum vitare voluerit, caveat ne *malum incipiat* a filiali quadam familiaritate, quam sibi facile permittunt puellæ pietatem profitentes.

3° Ex parte *mundi.*

Mundum voco laicos homines atque etiam sacerdotes, quos identidem adire tenetur sacerdos. Profecto periculum est non exiguum ex *conviviis*, si frequentiora, si prolixiora, si lautiora sint. Non minus periculum est ex *lusu* protracto, ex protracta *potatione*, ex nimia *confabulatione.* Non minimum damnum emergit ex *perditione temporis* et ex *læsione caritatis.*

4° Ex parte *dæmonis.*

Admonuit nos sanctus Petrus *dæmonem* circumcursare quærentem quem devoret eique fortiter resistendum esse in fide. Admonuit nos sanctus Antonius Magnus dæmonem ubique struere insidias, catenas jacere et retia, quibus capiantur incauti. Admonuit nos S. Ignatius Luciferum quotidie emittere legiones dæmonum ad *omnem locum*, ad *omnem hominem*, ut per eas promovere queat suas funestissimas molitiones. Timendum est ne sacerdos, *incurius orationis* et vigilantiæ, tantopere a Christo Domino commendatæ, dæmonis suggestionibus succumbat.

5° Ex parte *rerum adversarum.*

Scimus « multas esse justorum tribulationes. » Quod si eas sacerdos *oculo fidei* aspexerit, nullum ex eis erit ipsi periculum; scit enim Deum has tribulationes non permittere, nisi ad servorum suorum utilitatem: intelligit enim Deum servos suos *probare tribulationibus*, sicut figulus probat *vasa fornace*, et agricola *uvas torculari.* Sed si tribulationes aspexerit oculo *carneo*, turbabitur, animo dejicietur, humanas consolationes emendicabit, et, indulgens nimiæ tristitiæ, remissior evadet in omni re spirituali, et *inermem* eum diabolus ad *pessima* impellet.

Habes, o sacerdos, quod pertimescas, sed posuit in tua potestate Deus *subsidia*, quibus si bene usus fueris, ex omnibus his tam multis periculis victor te eripies.

Hæc subsidia sunt: *Ordo, frequens animæ recollectio, pia officii divini recitatio, fervens celebratio missæ.*

1° *Ordo.*

Quis ignorat ordinem ducere ad Deum? Verum quo homo propius accedit ad Deum, eo magis se abducit a periculo se perdendi. Deinde qui ordinate vivit, amovit a se *otium*, quod origo est omnium periculorum. Præterea non cogitabit sacerdos de instituendis apud laicos visitationibus, tædium superandi causa, si *domi* habeat semper in quo occu-

petur utiliter. Paradisus domus pastoralis, ubi omnia cum ordine peraguntur.

2° *Frequens animi recollectio.*

Pauci sunt qui plena voluntate se conjiciant in periculum salutis ; sed ad tale periculum deveniunt multi ex defectu considerationis. Non vident pericula, et propterea se inconsiderate in illa proruunt. Videbit hæc pericula eaque vitabit sapiens sacerdos, qui *singulis diebus serio* instituit conscientiæ *examen ;* qui *singulis hebdomadis*, statuta die, ita inspicit animam accurate ut instituat confessionem quæ ultima posset esse vitæ ; qui *singulis mensibus* per pias recollectionis exercitationes sibi reddit rationem gestorum, et deinde toto corde *se ad moriendum disponit ;* qui *singulis annis* diligentissime obit sacri secessus exercitia, præterita *corrigens*, disponens *præsentia*, prævidens *futura.*

3° *Pia divini officii recitatio.*

Quisquis se facere cupit immunem ab omni periculo, recurrat ad orationem. Nonne frequenter dixit JESUS suis apostolis « Orate... ut non intretis in tentationem ? » Quam felix sacerdos, qui vocatione alligatus est jucundissimo oneri sæpius de die orandi ! Certe inter preces vocales nulla præstantior officio divino. Fungatur igitur sacerdos hoc officio, non obiter aut præcipitanter, sed rite, devote, sancte, et tantum gratiarum

imbrem orando percipiet ut sine dubio evadat ex omni periculo et tentatione.

4° Sed inter omnia subsidia sanctitatis longe maximum est *sancta missæ celebratio.* Quomodo non conservabit animam victricem qui, vividissima fide et summa fiducia quotidie se nutrit cibo divino, quique, in ferventissima gratiarum actione, intime et cum filiali familiaritate Deum suum hospitem alloquitur!

EXAMEN.

Circa modum utendi signo crucis.

Decet sacerdotem alios Christifideles superare modo quo utitur sanctissimo Redemptionis signo. Quam multi hoc salutis subsidium adhibent leviter, irreverenter, absque fructu! Utilitatem maximam habebit circa usum hujus subsidii diligens examen.

I. An ego sacerdos soleo *frequenter* me signare signo crucis juxta consilium S. Ephrem : « Nihil absque signo crucis peragas; sed sive dormias, sive expergiscaris, sive operi insistas, sive comedas, sive bibas, sive iter agas, sive per mare naviges, sive flumen trajicias, sive quid aliud agas, omnia membra tua salutari et vivifico crucis signaculo semper consignes atque communias. » (De S. Cruce.)

Quomodo me signo? an *lente?* an *reverenter?* an efformo super me *veram crucem?* an debito modo *pronuntio* verba? an cum *attentione?* an cum *affectu?* an cum *ædificatione?*

II. Quomodo soleo signare signo crucis *alios?* an cum quadam majestate et dignitate? an non præcipitantius et cruce difformi?

III. Quomodo soleo signare signo crucis *res benedicendas?* an non indecore et levi manu?

IV. Quomodo soleo signare signo crucis, in missæ sacrificio, *species consecrandas*, et, post consecrationem ipsum *corpus* et *sanguinem* Domini?

V. Quomodo signo *populum* signo crucis, quando cum sanctissimo Corpore JESU ei impertior benedictionem?

VI. Quomodo soleo *parvulos* docere modum efformandi in se signum crucis? an ita ut id *rite* faciant et cum *maxima reverentia?*

O Domine, veniam humiliter imploro a tua Bonitate, quod tam negligenter, tam irreverenter tractavi rem sanctissimam, quæque omnem meretur existimationem, propter originem, propter significationem, propter efficaciam, propter amorem illius cujus infinitam erga nos caritatem in memoriam revocat. Utinam vel *semel in die* deinceps

quam optime me signare signo crucis assuescam, siquidem, ut ait S. Athanasius (De Incarn. Verbi, n. 47): « Solo crucis signo utens, homo dolos dæmonum a se propellit. »

RECOLLECTIO XVI.

CONTEMPLATIO.

De piscatione Petri.

1. Præl. Conspiciamus JESUM docentem de navicula Petri homines in littore congregatos; deinde Petrum, ad vocem JESU, sua retia laxantem; et tandem ipsa retia plena piscium multitudine. (Luc., V, 1-11.)

2. Præl. Petamus a Deo gratiam ut ad exemplum Petri homines piscari possimus.

Consideremus in hoc mysterio *mansuetudinem* JESU, *obedientiam* Petri, ejusque obedientiæ *fructum*.

1um PUNCTUM. — **Jesu mansuetudo.**

1° Ecce Dominus JESUS ita sua caritate, suavitate et mansuetudine attrahit post se turbas, ut usque ad littus stagni eum sequantur, et ex vehementi desiderio ipsius verbum audiendi, in eum irruant eumque premant. O sacerdos, vide an tu non solum non attrahas homines ad tuam cathedram, ad tuum confessionale, ad tuam conversa-

tionem, sed potius arceas, modo quidem tuo loquendi, agendi, verbum prædicandi, confessiones audiendi. Noli oblivisci Dominum JESUM beatos proclamasse *mites*, quoniam, ait, terram, i. e. hominum corda possidebunt. Quam multi sacerdotes nimia quadam *arrogantia*, et nescio qua vultus orisque *duritie*, animis parochianorum *timorem* injiciunt potius quam fiduciam. Quam recte dixit S. Franciscus Salesius *guttula mellis* plus capi muscarum quam *dolio aceti!*

2° Consideremus etiam *patientiam*, qua JESUS, ex itinere et ex frequenti concione fatigatus, iterum se accingit labori, et cum novo ardore incipit mentes illuminare, inflammare corda, erigere afflictos, mœstos consolari. — O sacerdos, non recusa panem frangere esurientibus, quod multum jam laboraveris, multumque sudaveris. Docet te JESUS, amore Dei et desiderio salvandi animas, fatigationem superare.

3° Voluit JESUS ut navicula, unde docturus erat turbas, *paululum a terra*

reduceretur. Spirituali sensu innuitur a plebe et a terrenis ejus affectibus vitam nostram esse abstrahendam, si velimus eam recte instruere. Non unus sacerdos parum videtur aptus ad verbum spargendum, quia tota ratio agendi et loquendi nimis mundana est atque sensualis.

4° Mirare JESU in jubendo modestiam ; nimia fortasse tibi videbitur : JESUS enim *ascendens in unam navim*, quæ erat Simonis, *rogavit* eum ! rogavit JESUS Simonem a terra reducere pusillum. Quam recte dixit de se Spiritus sanctus : « Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. » (Sap., XII, 18.) Nonne ego sum ex numero illorum, qui in minima etiam re jubenda agunt dominos, nedum dicam tyrannos, cum strepitu et cum verbis asperis suam voluntatem intimando ? Nonne indigeo ego hoc monitu Spiritus sancti : « Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi ? » (Eccli., IV, 35.)

IIum Punctum. — **S. Petri obedientia.**

1° Jesus, volens obsequiolum, quod acceperat a Petro, liberaliter remunerari, dixit : « *Duc in altum, et laxate retia vestra.* » Solet optimus magister nobis per superiores nostros quædam jubere, quæ nobis ingrata sunt vel quæ non videntur opportuna, ut scilicet, si cæco animo et liberali corde jussa exsequamur, habeat occasionem nobis impertiendi, tamquam præmium obedientiæ nostræ, quasdam gratias quæ veluti initium sint maximæ sanctitatis. Quapropter cave, o sacerdos, ne negligendo jussa superioris, illud a te abjicias unde sanctus evadere debebas.

2° Petrus humiliter aperit Jesu suam inopiam, dicendo : « *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* » — O quam multi eadem vere dicere possunt ! *a)* Nonne id dicere possunt *ethnici philosophi* qui per *noctem gentilitatis* frustra laborarunt ? *b)* Nonne id dicere possunt *peccatores*, quorum opera mortua et sine merito sunt? *c)* Nonne id dicere debent sacerdotes *tepidi*, aut

qui non habent rectam intentionem aut sua pigre faciunt? Quam merito dicta est tepiditas esse *mors meritorum, exitium omnis boni, gratiæ divinæ venenum, pulvinar diaboli, imitatio dæmonum, Spiritus sancti contristatio.* Quis ad hæc non exhorrescat? Quis non ex toto corde tepiditatem detestetur?

3° *In verbo autem tuo laxabo rete.* Quam *simplex*, quam *prompta* Petri obedientia! Statim, sine cunctatione, absque ulla prudentiæ humanæ intercessione, minime fidens suo operi, sed verbo Jesu, quod jubet Jesus exsequitur. Utinam eadem simplicitate, eadem promptitudine jussa nobis imposita exsequeremur! Utinam in omni labore, in omni negotio suscipiendo, nobis familiare esset *laxare retia*, non in nomine amoris proprii, non in nomine vanitatis, non in nomine favoris alicujus humani nobis comparandi, sed in nomine Jesu! Continue ergo in labiis sit tuis, o sacerdos, illud Petri verbum, fortitudine et fiducia plenum: « *In verbo tuo*, o Jesu, *laxabo rete.* »

4° *Duc in altum, et laxate retia vestra.*

Possunt hæc verba in sensu morali pulcherrimam habere applicationem ad varia vitæ sacerdotalis adjuncta. Turbaris et anxietate fluctuas miser? *Duc in altum*, projiciendo naviculam tuam in mare divinæ misericordiæ, et *laxa rete* cordis, te tuaque omnia cum ingenti fiducia paternæ Dei gubernationi tradendo. — Ex nimia timiditate et pusillanimitate abstines a quibusdam operibus ad sacrum ministerium pertinentibus? *Duc in altum*, aggrediendo sancta cum audacia ardua quæque, et difficilia et *laxa rete*, dicendo cum Psalmista : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam ; ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. » (Ps. LXXII, 28.) — Ex nimio futurorum contingentium timore *nimis sollicite* prævides senectutis tuæ necessitates, et inde factum est ut *parcior* videaris in dando eleemosyna et in sustinendis bonis operibus ? *Duc in altum*, quærendo primum regnum Dei. *Sufficit diei malitia sua*, dixit Dominus. Confide igitur sollicitudini Patris tui, qui in

cœlis est. « Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. » (Matth., VI, 32.)

III^um^ PUNCTUM. — **Obedientiæ Petri præmium.**

Multiplex consecuta est præmium Petri obedientia.

1° Miraculo capta est tam copiosa piscium multitudo ut duæ naviculæ, eis impletæ, pene mergerentur. Quod quidem miraculum tam evidens apparuit oculis Petri, ut stupens se projecerit ad genua JESU, exclamans : « Exi a me, quia homo peccator sum. » Doles forsan, o sacerdos, quod, licet indefessus sis in labore, et omnem moveas lapidem ad convertendos peccatores, peccatores tamen non ad te veniunt. Doles quod, licet omnia sacri ministerii adjumenta adhibeas ad promovendam parochianorum pietatem, pietatem parochianorum non auxisti. Uno verbo, doles quod fructus non respondet labori. Vel Deus id permisit ut te in spiritu humilitatis conservare valeas ; vel significare voluit te nimium fidere viribus tuis aut industriæ, non satis

promissionibus Christi. Ergo diffide tibimetipsi, et omnia spera a Domino qui dixit: «Omnia possibilia credenti.» Crede, et mirabilia Dei videbis.

2° Vocatur Petrus ad missionem *capiendi homines.* « *Ex hoc jam homines eris capiens.*» Quanta mutatio, o Petre, quam alta, quam sublimis tua nova vocatio! Ecce hucusque pretiosum tempus diu et nocte impendebas ad capiendos pisces, exigui lucri causa; abhinc autem, socius electus a Deo in opus omnium divinissimum, supra omnes vanas vitæ sollicitudines elevatus, totum mundum conspectu complecteris, pro totius mundi salute sanguinem, si opus sit, daturus. O sacerdos, gaude vehementer : eamdem enim nactus es sortem quam S. Petrus. Ut Petrum, te erexit Jesus pauperem, quem collocaret cum principibus, et te, sicuti Petrum, constituit hominum piscatorem. Gratias, o mi Jesu, ago tibi pro tanta dignatione, pro tanta vocatione.

3° « *Annuerunt sociis, qui erant in alia navi... et impleverunt ambas naviculas.* » Ostenditur nobis hic egregie

quomodo in copiosa animarum piscatione socii advocandi sint in auxilium, et quomodo ipsi, pro posse, adjuvare debeant, *sine invidia* et *zelotypia*, partiendo laborem, et honorem invicem communicando. O quam strenue promoveretur opus Domini, si, quos assumpsit Dominus operarios, sedulo a se amoverent quidquid conjunctioni animorum vel minime obstare posset. « *Ego*, ait JESUS, claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, *ut sint unum*, sicut et nos unum sumus. » (Joan., XVII, 22.)

CONSIDERATIO.

De conformitate cum voluntate Dei.

Animæ dispositio quæ quam maxime favet *fiduciæ in Deo* est *conformitas nostræ voluntatis cum divina*. Ad hanc conformitatem commendandam multa afferunt auctores argumenta; nobis sufficiat in mentem revocare ea quæ Christus Dominus legitur docuisse Catharinam Senensem. Sunt autem sequentia: 1° *Nihil omnino fieri nisi per voluntatem Dei;* 2° *Deum semper facere quod est optimum, juxta leges sapientiæ suæ;* 3° *Deum facere etiam quod nobis maxime utile est juxta bonitatem suam et amorem quo erga nos flagrat.*

« Hæc sæpe et serio meditanda, ait P. Petitdidier, et semper in promptu habenda, ut ea sponte memoriæ recurrant et intellectum plane persuadeant. »

Juxta probatissimos ascetas qui hac de re scripserunt, possumus *exercitium* conformitatis considerare vel *generice* vel *in specie*. En hujus doctrinæ compendium.

I. Hoc exercitium conformitatis *generice* sumptæ, in his duabus consistit : voluntatem divinam sequi in iis quæ *præscribit*, et illi acquiescere in iis quæ *disponit*. Illa dicetur conformitas *activa*, hæc *passiva*. Qua utraque inducimur ad volendum *quidquid* Deus vult, *quomodo* vult, et maxime *quia vult*.

1° Conformitas *activa* in iis rebus est quæ pendent a nobis, nostræque libertati et dispositioni subsunt ; exercetur autem *per obedientiam* generalem voluntati divinæ, *affirmanti* vel *neganti*.

a) Quoad voluntatem *affirmativam*, *semper volendum* est et *agendum* quidquid Deus vult, sive *præcipiendo*, sive *consulendo;* idque volendum est *ut* Deus vult, *quantum* vult, et maxime *quia* vult, unice ex motivo *beneplaciti*.

b) Quoad voluntatem *negativam*, nunquam velle aut facere quidquam eorum quæ Deus non vult, sive *prohibendo*, sive *dissuadendo*, adeoque nunquam admittere peccatum veniale deliberatum, nunquam virtutis

alicujus infractionem, nunquam imperfectionem voluntariam aut resistentiam gratiæ.

2° Conformitas *passiva*, quæ spectat voluntatem Dei *permittentis* aut *operantis*, locum habet in iis quæ a voluntate nostra non pendent; et exercetur generatim per *resignationem* et speciatim per *acceptationem* et *submissionem*.

a) *Resignatio* spectat proprie *res futuras*, aut *incertas*, aut saltem *ignotas*, facitque ut nos Deo et superioribus ejus locum tenentibus, *totos* permittamus, *universaliter*, *plene*, *prompte*, *constanter*, penitus excludendo omnem actionem, desiderium, cogitationem Dei voluntati *contrariam*.

b) *Acceptatio* seu *submissio* spectat *præsentia* aut *præterita*, *determinata* et *nota*, in quibus Dei voluntati acquiescimus *omnino*, idque *prompte*, *plene*, *constanter*, *res accipiendo* et tolerando *patienter*, *æquanimiter*, *gaudenter*; idque ostendimus vel silendo, vel expressa approbatione, vel etiam laude et gratiarum actione, exemplo sancti viri Job. Utraque conformitas passiva dat gloriam divino beneplacito, quod habet pro unico motivo.

II. Quoad res *particulares*, circa quas hæc conformitas exercenda est, sufficit considerare vitam Christi Domini.

Quatuor sunt circa quæ admirabiliter exercuit conformitatem cum voluntate Patris æterni.

1° Circa *talenta* et *vitæ genus.*

Christus, Dei sapientia et virtus, cum posset Dei gloriam modis innumeris procurare, sub *communi vivendi modo latere* voluit ut se Patris voluntati conformaret.

2° Circa *functiones.*

Christus in exercitio prædicationis a voluntate Patris sui pependit in *omnibus.*

a) *Quoad tempus.* Nec momento prævenire, nec ultra tempus præscriptum vel momento producere voluit. «Nondum venit hora mea.» (Joan., 11, 4.) «Sed hæc est hora vestra. » (Luc., XXII, 53.)

b) *Quoad loca.* Judææ finibus se continens, raro Jerosolymis, aut in urbibus, fere semper in oppidis et pagis, locisque remotis et ignotis versatus.

c) *Quoad personas.* Nullos principes, nisi in passione, paucos alicujus nominis et notæ viros vidit ; inter plebeios et pauperes zelum suum continens ex obedientia.

d) Rursus nec sibi non commissos quæsivit ; nec ad se missos repulit ; neminem ad se venientem rejecit.

« Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » (Matth., XV. 24.) « Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » (Joan., VI, 37, 38.)

3° Circa *successus*.

a) *Malos* æquanimiter ferebat. Quoties *frustra* in templo, in compitis, in domibus, in campis, in desertis ad multitudinem copiosam prædicavit et docuit ; et quam *modicus* tantis laboribus *fructus* respondit ! Eos tamen labores non minori affectu expetiit.

b) *Bonos* Patri soli tribuebat, et in ipso solo gaudebat. « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » (Matth., XI, 25 et 26.)

4° Circa *mortem* immaturam, in viridi juventute, violentam contra innatas vires et constitutionem robustam, per cruciatus et tormenta exquisita, cum probro et ignominia, pro ingratis et immeritis, contra inclinationem naturalem, cum posset *agendo* Dei gloriæ impensius servire. Patet ex oratione in horto : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » (Matth., XXVI, 39.)

Conclusio practica.

Quam jucundum mihi est, o mi Deus, plane intellexisse, nihil mihi accidere posse nisi quod tu volueris ; et te nihil velle nisi quod scias *optimum* esse et *mihi quam maxime utile*. Mea igitur firma voluntas est deinceps nihil velle nisi quod tu vis ; quid-

quid autem vis, *id* volo, *quia* vis et *quomodo* vis. Amplector plenissima acceptatione ac resignatione quidquid, ad ultimum vitæ meæ suspirium, mihi immissurus es, sive id mihi naturaliter gratum fuerit, sive ingratum. Eodem animi affectu, eadem gratitudine suscipio de manu tua successus bonos et malos, valetudinem et infirmitatem, gloriam et ignominiam, consolationem et desolationem, statum luminis et statum tenebrarum, vitam tandem et mortem. Plenissime me conformare volo tuæ voluntati quoad dotes, talenta, doctrinam; quoad functiones honorificas et abjectas. Si, o mi Deus, voluntas tua est ut lateam et taceam, latebo tacebo.

Semper et *ubique*, cum S. Ignatio, te Deum meum precabor: Guberna, Domine, sicut scis et vis, nam scio quod amator sis! Amen.

EXAMEN.

Circa conformitatem cum voluntate Dei.

1° An mihi firmiter persuasum est nihil fieri nisi quod Deus vult, et Deum velle id quod mihi optimum est?

2° An proinde in ea sum animi dispositione ut paratus sim dicere *omni momento* et in *omni* rerum *adventu*. « Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te? »

3° An eodem animo eademque gratitudine accipio de manu Dei *res prosperas* et *res adversas ?*

4° An unice volo *id* quod vult Deus, *quia* vult, *quomodo* vult ?

5° An defectu conformitatis identidem non me experior tristem, quia non accepi majora talenta, majorem eloquentiam, majorem auctoritatem, majorem successum ? An inde non videor quadam invidia laborare ?

6° An *sine cunctatione* et *plene* conformare me conor voluntati divinæ:

a) In omni *infirmitate ?*

b) In omni *ærumna ?*

c) In omni *humiliatione ?*

d) In omni *deceptione* ex parte amicorum ?

e) In omni *tentatione ?*

f) In omni *ariditate* et *desolatione ?*

7° An adversa quæ eveniunt, generose silentio tolero, exemplo Davidis dicentis « Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti » ? (Ps. XXXVIII, 10.)

8° An in *re prospera* et in *bono successu* soleo id tribuere soli Deo ?

9° An omnia quæ accidunt, voluntati divinæ adscribo, exemplo Jobi dicentis « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est ? » (Job, 1, 21.

10° An non sollicitior sum de conservatione vitæ ?

11° An in maxima constitutus tribulatione usurpare assuevi orationem JESU dicentis: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; *verumtamen* non mea, sed tua fiat voluntas?

12° An non indigeo admonitione S. Ambrosii dicentis: « Disce Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum? » (Lib. X sup. Luc., c. 22.)

13° An non forsan ad me spectat quod dixit S. Augustinus (Super Ps. XXXV, 11): « Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es dulcis est voluntas Dei, et quando ægrotas amara est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam ; illa recta est, sed tu curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, et rectum habebis cor. »

Domine, fiat in me, de me, per me, circa me et circa omnia mea, tua sanctissima Voluntas, in tempore et in æternitate. (S. Gertrudis.)

RECOLLECTIO XVII.

CONTEMPLATIO.

De persona D. N. J. C.

1. Præl. Audiam JESUM dicentem Patri suo: « Pater, venit hora; clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, JESUM CHRISTUM. » (Joan., XVII, 1, 3.)

2. Præl. Petamus a Deo Patre gratiam *perfecte cognoscendi* filium ejus unigenitum, ut eum *ardentissime diligamus.*

Utile est sacerdoti inquirere seric qualis esse debeat erga JESUM CHRISTUM. Talis autem esse debet, ut ei JESUS sit *omnia in omnibus;* talis ut, imbutus spiritu JESU, quasi in JESUM transeat; talis ut JESUS in eo vivat, ita ut omnibus sacerdos *alter* esse *Christus* videatur. Atqui talis erit sine dubio, s JESUS sit ipsius oculis quod fuit oculis apostolorum, nempe *Filius Dei, Rex regum, Salvator mundi, Medicus animarum, Amicus* inter omnes diligendus

I. *Filius Dei,* Patris æterni, Pat

consubstantialis, et proinde *Deus verus* de Deo vero, ut Pater *infinite sapiens*, ut Pater *infinite potens*, ut Pater *infinite bonus*. Hinc *fiducia* sacerdotis nullo termino circumscripta. Insurgat in eum mundus, conspiret contra eum infernus cum mundo, ut ei auferat bona temporalia, famam, existimationem, auctoritatem et quiquid possidet; non timet, non animo dejicitur; inferno et mundo altior est ac fortior: innititur enim JESU omnipotenti atque infinite sapienti! «Si Deus pro nobis, quis contra nos! »

II. *Rex regum*. 1° Considerat se sacerdos ut *præpositum domus regiæ*; propterea cordi habet quidquid pertinet ad *ecclesiam*, quidquid pertinet ad *tabernaculum*. Cum veritate dicere potest: « Zelus domus Dei comedit me.» Ut hæc domus digna sit tantæ majestatis, nulli parcit labori, nulli sacrificio. Cum sollicitudine vere sacerdotali instanter invigilat ut regium domicilium splendeat nitore, splendeat decore, splendeat ordine. Non patitur in eo quidquam peragi negligenter.

2° Considerat se ut Regis sui dele-

ctum *militem*. Itaque accingit se ad bellanda bella Domini ; et qua fortitudine, quo successu! Quot et quantas jam retulit victorias de hostibus Christi! Nihil ei jucundius hac recordatione, sese aliquando Christo Domino, invitanti ad partem habendam in sua sublimi expeditione, generose respondisse : « O Rex regum, sequar te quocumque ieris, et mihi firmissima est voluntas *insignem me* in te sequendo *probandi*. »

III. *Salvator mundi*. Non ignorat sacerdos ante adventum Jesu, homines sub durissimo dæmonis jugo vixisse ; erat enim, ut apprime dicit S. Augustinus, genus humanum veluti *massa damnata* ruens ad æternam perniciem. Neque ignorat Jesum suo adventu piissimo generis humani *jugum fregisse*, *infernum clausisse* nolentibus ad infernum descendere, et *cœlum aperuisse* ad cœlum ire volentibus. Quod dum mente volvit sacerdos, in se experitur una ex parte vividissimum *gratitudinis* sensum ; ex altera parte ardentissimum *desiderium* ut quam plurimos participes

faciat beneficii redemptionis. Ad hunc duplicem cordis affectum nutriendum, sancta cum voluptate, in quotidianis meditationibus, sibi repræsentare solet JESUM *Redemptorem*, modo ut Infantulum, pannis vilibus involutum, in humili jacentem præsepio; modo ut victimam mundi se in templo per manus benedictæ Matris offerentem; modo ut in exsilio relegatum; modo ut in pauperrima domo Nazarethana per plures annos latentem; modo ut in deserto pro peccatis nostris jejunantem; modo ut per oppida et vicos verbum Dei spargentem, ægrotos sanantem, mortuos ad vitam revocantem; modo ut opprobriis saturatum, in patibulo crucis pro nostra salute exspirantem. Quam sæpe ex tali contemplatione exsurgens, ab angelis auditur maxima pietate exclamans cum Paulo: « Vere dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. »

IV. *Medicus cœlestis animarum.* Intellexit sacerdos ex tristissimo lapsu primorum parentum non solum natam esse luctuosissimam mortem, sed cum ipsa innumera mala, mala *corporis*,

mala *mentis*, mala *cordis*, genus humanum invasisse. Intellexit ad medendum hisce malis et ad ipsam mortem superandam, JESUM in hunc mundum venisse, seque totum in officium divini medici impendisse. Quanta cum consolatione ante oculos ponit et benignissimum *samaritanum*, qui misericordia motus, hominis semivivi vulnera, oleum et vinum infundendo, suaviter mulcet; et *bonum pastorem* qui oviculam errantem sollicite quærit inventamque gaudens in humeris ad ovile reportat; et *Patrem amantissimum*, qui filium prodigum admirabili caritate complexans, prima stola iterum vestitum in omnia suæ conditionis jura misericordissime restituit. Hinc illi oritur singularis æstimatio *confessionalis*. Confessionale enim oculis ipsius est *divinum* quoddam *lavacrum*, in quo anima sanguine innocentissimi Agni abluta invenit *nitorem*, si sordida fuerit; *vigorem*, si languida; *pulchritudinem*, si fœdata; *vitam*, si mortua. Libenter et frequenter hoc utitur *balneo* ipse; et ac idem frequentandum quotquot potest

allicit parochianos. In ipso confessionali conatur esse *samaritanus* sua benignissima caritate, *bonus pastor* suo ad quærendas oves perditas zelo, *pater amantissimus* complexans vel maximos peccatores. Nunquam durus, nunquam immisericors peccatorem abjecit vel in desperationem deduxit.

V. *Amicus inter omnes diligendus.* Qualis amicus! O mi JESU, homines te non cognoscunt, quia te cognoscere *nolunt*. Amicitiæ tuæ aliam quamcumque præferunt amicitiam. Et hæc sane stultitia est eorum maxima. « O si scirent donum Dei! » Tu, o bone sacerdos, JESUM cognitum habes, et in dies satagis eum cognoscere perfectius. Et hoc studium tuum summa sapientia est. Quam jucundum tibi est scire amico tabernaculi nullum esse pulchriorem... sapientiorem... ditiorem... gloriosiorem... constantiorem... fortiorem... generosiorem! Non ergo mirandum est te ad *talem* ac *tantum* amicum accedere cum suavissima *familiaritate*, cum sancta *audacia*. Non dubitas cordi ipsius omnia *communicare*, et quæ *læta*

sunt et quæ *tristia*, quæ *adversa* et quæ *prospera*, quæ *grata* et quæ *injucunda*, quasi oculis Eum videres, ejusque verba auribus perciperes. *Eum alloqueris cum filiali simplicitate*, et quæcumque petis, *confidis sine ulla hæsitatione* ea te a paterna ipsius munificentia obtenturum. Moreautem sanctorum, quotidie sub vesperum, adis amicum tuum incomparabilem, ut quæ recte vel male gesta fuerint per diem, in Cor ejus projicias ; ut quæ tibi maxime cordi sunt, sive temporalia, sive spiritualia, paternæ providentiæ ejus committas ; ut tandem quæ tibi desunt ad rite et sancte fungendum munere tuo pastorali, ex ejus Corde tamquam ex divino promptuario affatim desumas. Nonne tibi, o sacerdos, Tabernaculum est cœlum in terris? Utinam hoc etiam mihi contingat, o mi Jesu ! Amen.

CONSIDERATIO.

De bona negotiatione spirituali.

Considerato timore quo *servi* timent dominum, ei servientes ex *timore pœnarum*, utile erit considerare timorem quo famuli

dominum timent, ei famulantes *spe præmiorum.* Indagemus igitur *naturam* præmii quod promisit Dominus, et *conditionem* quæ a famulis requiritur ut præmium promissum consequantur.

Ad hoc duo indaganda nos mirifice adjuvabit parabola de homine negotiatore, quærenti margaritam pretiosissimam. (Matth., XIII, 45, 46.)

Sumus igitur nos *negotiatores regni cælorum.* Id quod emere intendimus est *regnum cælorum*, et *pecunia* qua id emere volumus sunt *opera nostra.* Hæc autem negotiatio per totam vitam perduratura est, cum idem ipse Dominus dixerit, apud S. Lucam, nos negotiari debere donec veniat : « Negotiamini dum venio. » (Luc., XIX, 13.)

Bonus negotiator *spiritualis* per omnia fere debet imitari *prudentem* negotiatorem hujus sæculi. Atqui prudens hujus sæculi negotiator :

1° *Multum afficitur* ad suam negotiationem et ad omnia quæ ad negotiationem hanc pertinent. In his cogitatio ejus, in his cor totum. — Sic affici debemus et nos ad nostrum negotium unicum, summum, urgens, quod est *salvare animam nostram* et *aliorum.*

2° Nescit quid sit *lucrum parvum, damnum parvum ;* omnia lucra, omnia damna *magni facit*, quippe qui non ignorat ex

lucris parvis enasci *magnum* lucrum, et e damnis parvis emergere sæpe *maximum* damnum. — Sic nos nihil flocci ducere debemus quod aliqua ratione nos adjuvare possit vel impedire in negotio salutis. Certe nihil parvum æstimandum est quando agitur de *æternis !* Sit igitur *cura minimorum.*

3° Utitur omni occasione suam negotiationem exercendi. *Gaudet* de omni occasione merces suas vendendi, et minime conqueritur quod debet citius e lecto surgere, laborare, sudare ; *libenter* sustinet quæcumque sunt molesta, si *brevi* tempore *multum* possit *lucrari.* — Lugendum est quod non raro videmur nos agere alia ratione. En occurrit humiliatio aliqua : quam bona pecunia ! magnum habet valorem ad emendum regnum cœlorum, et tamen contristamur, animo dejicimur. Quanta stultitia ! Vere « filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. » (Luc., XVI, 8.)

4° Variis utitur *industriis* quo facilius, tutius, fructuosius rem suam promoveat.

Prima ipsius industria est, quærere emptores qui indubiæ sint probitatis, quique certo certius ac debito tempore pretium sint soluturi.

Perinde nos in nostra negotiatione agere debemus. Veniunt enim multi ad nostram officinam spiritualem ; venit diabolus, venit mundus, venit caro, venit amor proprius,

venit Christus Dominus. Priores emere volunt cogitationes nostras, nostra verba, nostras actiones; promittunt mirabilia... nec unquam aliud pro rebus venditis donant quam *tædium* et *ruinam*. — Tu vero, Domine, quid promittis? Multa sane, sed minora etiam quam quæ daturus es. Ipse enim dixisti aliquando: « Ego ero merces tua magna nimis. » Nec intellectus, nec visus, nec auditus unquam ea poterunt attingere quæ Deus præparavit suis electis. Sit igitur cura *rectæ intentionis*.

Secunda industria est, efficere ut in officina splendeat *mundities*, splendeat et *ordo*. Hæc emptores alliciunt. — Splendeat etiam ordo in nostra officina spirituali. Omnia proinde fiant *ordinate*. Splendeat et mundities; divinus enim Emptor noster amat *munda*, et « pascitur inter lilia. » (Cant., II, 16.) Mundities sit non solum in corde, sed et in corpore, in supellectili, in ecclesia, in presbyterio. Omnia spirent in nobis angelicam puritatem.

Tertia industria est, excipere emptores cum maxima *comitate* et *amabilitate*. Vigeat etiam apud nos, negotiatores spirituales, hæc virtus quam vocat S. Thomas *eutrapeliam*, qua fit ut erga omnes, quibuscum nobis agendum est, *amabiles* nos exhibeamus.

Quarta industria est, omnium maxima, magna uti diligentia circa *codices* negotia-

tionis, ut accepta et expensa accuratissime inscribantur. Hoc adeo verum est ut, cum de bono statu negotiationis dubium sit, adhibeantur *viri periti*, qui *ex inspectione codicum* ferant judicium. In negotiatione spirituali hæc industria *summa* sit oportet. Accurate inscribatur *codex diurnus*, qui est *examen conscientiæ quotidianum ; codex hebdomadarius*, qui est *diligens confessio peccatorum ; codex menstruus*, qui est *seria mentis strua recollectio ;... Codex annuus*, qui est *secessus quotannis ferventer instituendus*, erit nostra negotiatio florentissima atque plena jucunditate. Amen.

EXAMEN.

Circa acediam.

« Acedia est quoddam tædium operandi quod ita deprimit hominis animum, ut nihil ei agere libeat boni. »(S. Th., 2. 2., q. 35 a. 1.)

« Acedia est in *psalmodia* invalida, in *oratione* imbecillis, in *ministerio* ferrea, in *opere manuum* pigra, in *obedientia* improba. (S. Jo. Clim., grad. 13.)

I. *Acedia est in psalmodia invalida.*

An non exiguum refero fructum ex officii divini recitatione, vel quia ex pigritia soleo officium divinum in tempus indebitum differre... vel quia illud recito oscitanter

et animo indevoto... vel quia situm quæro commodiorem... vel quia tædet me animi vires colligere antequam incipiam divinum officium recitare?

II. *Acedia est in oratione imbecillis.*

An non caret mea oratio consolatione et fructu, vel quia tepide ad eam accedo... vel quia eam negligenter facio... vel etiam quia eam ex pigritia frequenter decurto vel omitto?

An non negligo meditationem et visitationem SS. Sacramenti, quia deest mihi animus ad superandum meam ignaviam et tarditatem?

III. *Acedia est in ministerio ferrea.*

An non propter *animum pigritantem*, deest mihi zelus ad laborandum pro gloria Dei et pro salute animarum?

An non quasi indifferenti oculo aspicere videor miserias hominum, quia fugio quodcumque opus, ex quo nasci posset vel aliquod corporis incommodum, vel quantulacumque fatigatio?

An non facilius mihi persuadeo laborem qui mihi obvenit, *nimium* esse? Nonne mihi inde elabuntur murmurationes et querelæ?

An non bonum operor frigide, languide, segniter?

IV. *Acedia est in opere manuum pigra.*

Nonne assuevi ex pigritia aliis relinquere omne opus minus gratum, minus jucundum,

mihi reservans id quod fere nullum requirit laborem vel fatigationem ?

Nonne pigrum me probo, non solum in operando, sed in sedendo et in gradiendo ?

V. *Acedia est in obediendo improba.*

Nonne quia pigra sum indole, deficit mea obedientia, vel ægre accipiendo jussa superiorum; vel cunctando in exsequendo jussa; vel ea, quæ mihi committuntur facienda, in ultimum momentum retardando; vel ea exsequendo cum gemitu et tristi vultu ?

An non coguntur superiores me frequenti admonitione stimulare, ut ea quæ facienda sunt, *tempestive* expediam ?

An non eo pervenit mea acedia, ut rarc hora statuta surgam e lecto, et etiam de di inveniar somno indulgens !

An non egredior sæpe domo sine necessitate, neque ex caritate ad externos, sed tantum fallendi temporis et tædii causa ?

O Domine JESU, qui dum inter mortales degebas, continue *orabas* vel *laborabas*, e non raro etiam per noctes integras vigilabas orando, miserere mei, et concita me stimulo gratiæ ad laborandum et orandum strenue, ita ut diabolus nunquam me inveniat inoccupatum. Amen.

RECOLLECTIO XVIII.

CONTEMPLATIO.

De leproso mundato.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo JESUS viro leproso, humiliter petenti ut a lepra mundaretur, confestim annuerit. (Matth. VIII; Marc I; Luc. V.)

2. Præl. Petamus a JESU ut velit et nos a multiplici nostra lepra liberare.

In hoc mysterio in quo se totum pandit benignissimum Cor JESU erga miseros, utile nobis erit considerare: 1° Quid egerit leprosus; 2° Quid JESUS; 3° Quid nobis agendum sit.

I^um^ PUNCTUM. — **Quid leprosus?**

1° Non dubitat suam lepram tristissimam JESU *manifestare*, ut eum ad misericordiam moveat. *Humiliat se*; propter quod modo, ut promisit JESUS, *exaltabitur*.

2° Firmiter credit JESUM esse Filium Dei unigenitum; quapropter *prosternens se* ad ipsius pedes, *Eum adorat*; quanta autem cum reverentia, quanto cum affectu!

3° Certus de *potentia* et de *benignitate* Jesu, *omnia* audet ab eo *sperare*, eumque *confidenter precatur* ut corpus ipsius a lepra dignetur mundare. Quam jucundum ipsi erit propria experientia discere, *omnia possibilia esse credenti!*

4° Admiremur leprosi *orationem*. *Brevis* est, *simplex* est, sed efficacissima ad fructum, qui speratur, obtinendum. « Domine, si vis, potes me mundare. » Quasi dicat, ait Chrysostomus (Hom. XXVI in Matth.): « Scio te paris esse cum Deo Patre potestatis, e consequenter morborum dominum, u lepræ herili jure imperare, eamque sol jussu a me depellere possis. Rogo ergc ut id facere velis et digneris ; si velis res acta est, sanus sum. »

Dominum vocat, et recte quidem; es enim Jesus Dominus dominantium Rex regum. — *Si vis.* Licet ardentis sime exoptet sanationem, eam tame prorsus subdit *Jesu voluntati* atqu *beneplacito.* Satis ostendit se minim conquesturum, etiamsi pateretur repu sam. — *Potes me mundare.* Quam firm fides. Sane talis est leprosi oratio qua

lem eam esse oportere significavit JESUS, cum dixit : « Et omnia quæcumque petieritis in oratione *credentes*, accipietis. » (Matth., XXI, 22.) « Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere et mittere in mare *et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia* quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, *credite quia accipietis*, et evenient vobis. » (Marc., XI, 23, 24) — Quid clarius, quid aptius ad nobis inculcandam summam fiduciam ? O si haberemus fidem, quam potentes evaderemus in operibus sacri nostri ministerii, dicentes cum divo Paulo : « Omnia possum in eo qui me confortat. » (Phil., IV, 13) Utinam omnis nostra oratio, ut oratio leprosi, *reverentiam, fidem, humilitatem, resignationem* spiraret !

II^um^ PUNCTUM. — **Quid Jesus ?**

In sanatione leprosi mirifice splendent JESU *sapientia*, *misericordia*, *benignitas*, *potentia*, *humilitas* et *prudentia*.

1° *Jesu sapientia.* Ecce permisit ut hic homo, quem minime cogimur ut peccatorem considerare, lepra fœdaretur et sic haberet vitæ conditionem miserabilem. Id certe non permisisses, o Jesu, nisi scivisses lepram huic homini fore optimam rationem Deo suo serviendi et animæ saluti consulendi. Sub hoc respectu *donum* erat lepra, non punitio. Quanta nobis esset mentis securitas, si omnem, quæ nobis obvenit, infirmitatem haberemus ut *donum Dei.* Non de ea conquereremur sed sinceras pro ea Deo redderemus gratias. O si nobis familiare esset aureum S. Pauli effatum : « Diligentibus Deum *omnia* cooperantur *in bonum!*» (Rom., VIII, 28.)

2° *Jesu misericordia.* Licet absens corpore, sollicitus tamen erat Jesus de statu leprosi, exspectans momentum sapientia sua æterna determinatum ac ipsius sanationem operandum. *Casu* videtur hunc hominem *plenum lepra* (Luc., V, 12) invenisse; hoc autem cogitare, o Jesu, summa tibi esset injuria. Non casu, sed ex *industria* et ex *anim*

misericordissimo leproso occurristi « misertus ejus. » (Marc., I, 41.)

3° *Jesu benignitas.* Quam *prompte*, quam *amabiliter* JESUS supplicanti respondet : « Volo, mundare. » Dignatur iisdem uti verbis quibus et ipse ægrotus usus fuerat. Non quidem passus est vel unum momentum intercedere rei *petitionem* inter et ejusdem *impetrationem.* Præterea plus tribuit Christus oranti quam ipse expresse petit ; eodem enim instanti ipsum plane curavit, immo vegetum, alacrem, validumque effecit tum *corpore*, tum præcipue *animo.* Solet enim Christus sua *liberalitate* merita supplicum excedere et vota, ut nos ab eo discamus idem facere, ac liberalissimi simus tum erga Deum, tum erga proximos.

4° *Jesu potentia.* « Et extendens manum, tetigit eum... Et confestim lepra discessit ab illo. » (Luc., V, 13.) Potuisses, o JESU, a corpore ægrotantis lepram vel solo nutu abigere ; sed eam tangere voluisti, ut nos doceres non nimium a fœditate morborum horrere, utque alacrius et generosius morbo

laborantibus curam nostram impendere valeremus Hoc divino tactu tuo, nos etiam doces ad graviores animi morbos curandos subinde *tactu* opus esse. Tangis autem spiritualiter morbidos, quando per *adversitates*, per *castigationes*, a vitiis eos avocas. Sic, o JESU, si necesse sit, me tangere digneris.

5° *Jesu prudentia. a)* Mundatum a lepra mittit JESUS ad sacerdotes, dicens: « Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. » (Luc., v, 14.) Sic JESUS egit, ait S. Hieronymus, ob humilitatem, ut iis deferre videatur; deinde ut illi vel credentes salventur, vel fiant inexcusabiles ; etiam ne legem infringere videatur. Addo, ut discere-mus etiam in nova lege peccata, contritione expiata, aperienda esse confessario

b) « Vide nemini dixeris. » (Marc., I 44.) Certe JESU nihil timendum erat ex miraculi manifestatione ; sed *nobis* valde timendum est ne, evulgando quæ recte egimus, operis meritum minuamus et forsan penitus deperdamus

propter nimiam in nobismetipsis complacentiam atque vanitatem. Ostendere nobis voluit Jesus quam *prudens* sit de semetipso deque suis operibus *tacere*. Si enim id fecerimus, *nobis tacentibus*, efficiet Deus ut *prodamur inviti*, idque magna cum ædificatione audientium et majore gloria operantium, unde Marcus : 1, 45 : « At ille (leprosus) cœpit prædicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et *conveniebant* ad eum undique.»

III^um^ Punctum. — **Quid ego?**

Ego, *sacerdos*, considerare me debeo ut *hominem* atque ut *alterum Christum :* Ut *homo*, imitari debeo *leprosum* a Jesu mundatum ; ut *alter Christus*, debeo imitari Jesum in modo leprosos sanandi.

1° Ut *homo*, obnoxius sum *multiplici lepræ*. Fœdissima esset *lepra mea*, si *peccatum mortale* committerem Minoris quidem est fœditatis, sed tamen fœdum quodcumque *peccatum veniale*, a me voluntarie commissum. Lepra

autem mea, etsi oculis forsan meis minime est fœda, æterni tamen Sponsi oculis *valde deformis* apparet ex omni *affectu minus ordinato*, aut quacumque in loquendo vel agendo culpabili *negligentia*.

Ut leprosus Evangelii, *accedam ad Jesum per serium* conscientiæ *examen;* Eum *reverenter adorabo ;* animam meam lepra fœdatam *revelabo*, et cum fiducia dicam : « Domine, si vis, potes me mundare. » Si viderit in me Jesus *fidem*, quam vidit in leproso, confestim dicet : « Volo, mundare, » et plene mundatus ibo ad sacerdotem, cum magna humilitate totam animam meam ei patefaciens, ut ita de statu meo spirituali recte possit judicare, atque me cum gaudere de benignissima Jesu operatione, qua lepram a me dignatus sit fugare.

2° Ut *alter Christus*, alacriter occurrere conabor *leprosis* meæ parœciæ, eosque ad me accedentes suaviter et cum maxima benignitate excipiam, paratus omni momento, etiam cum proprio incommodo, adlaborare ad

eorum emundationem, eos *tangendo* vivida exhortatione et infinita, qua præditus sum, potestate utens, unicuique dicam: *Volo, mundare.* Quid jucundius bono sacerdoti quam sic subditos suos a lepra peccatorum liberare, eosque plene mundatos per absolutionem ad sacerdotum principem, JESUM, mittere, ut ipse eos videns, jam nitore splendentes, jubeat divino convivio, quod electis suis paravit, interesse. Hæc cogitatio, o mi JESU, mihi sufficere deberet ut sanctissimo confessarii munere vacem, non solum sine tædio, sed cum angelica voluptate et cum insatiabili desiderio sanandi quam *plurimos* et quam *maximos* peccatores.

CONSIDERATIO.

De necessitate nos ad mortem præparandi.

Novus annus nobis *initia* exhibuit *terrifica.* Illuxit enim mundo veluti stipatus tristissima morte. Ecce a pluribus jam mensibus mors non cessavit grassari per totum orbem terrarum, ubique prosternens magno numero victimas suas. Quapropter valde nobis opportunum erit de morte nostra serio cogitare.

Consideremus mortem ut *hostem* ad nos appropinquantem animo infensissimo, et supponamus me a vobis ad eam missum esse *legatum, ea quæ pacis sunt tractaturum.*

Fingite igitur *me* nomine vestro *mortem interrogavisse*, et nunc ad vos ejus ferre responsa.

Audite I. *Mortis responsa;* II. *legati consilia.*

I. Hæc jussus sum a Morte unicuique vestrum renuntiare : *Veniam... cito..., semel...;* cum venero, *omnia a te auferam* quæ possides... ; si te invenero constitutum in Dei *amicitia*, ero erga te *benignissima.*

Hæc aliquantulum perpendamus.

1° *Veniam*, ait Mors. Hoc certum est certitudine fidei. *Statutum* est, dixit divus Paulus. Ergo veniet ad te, Frater, qui forsan inter nos versaris minimus ætate atque sanitate florentissimus.

2° Veniam *cito.* Hoc verum est pro omnibus in genere. « Vita quid est hominis? Viridantis flosculus horti, sole oriente oriens, sole cadente cadens. » Vita transit sicut *umbra*, dicit Spiritus sanctus. Pro uno alterove ex nobis veniet *citissime.*

3° *Semel* veniam. O terribilem veritatem! Si venerit nobis *amica*, omnia nobis bene pro tota æternitate. Si *inimica*, omnia nobis male in æternum. O si veniret eo momento, o mi Frater, quo forsan versaris in

statu peccati mortalis ; quo consentis tentationi ; quo liberius agis cum muliere ! Quam formidanda hæc *unica* mortis visitatio ! Semel periisse æternum est.

4° *Omnia quæ habes auferam a te.* Quid igitur nobis faciendum est, ut hanc mortis *violentam deprædationem* arceamus ? Omnia bona nostra in *loco tuto* abscondamus, *quo fur non appropiat*, nempe in sinu Dei nostri, per generosam omnium bonorum nostrorum oblationem. *Pauperes spiritu* nos inveniat mors, et non habebit unde nos deprædetur.

5° *Si te invenero amicum Dei*, erga te *benignissima* ero. O quot et quantas solet bono sacerdoti morienti mors propinare jucunditates !

a) Quanta est illi jucunditas, suavissima hæc *recordatio laborum suorum* quos pro Deo suo exantlavit ; *tribulationum* quas ex amore Dei patienter toleravit ; *animarum* quas docuit veritatem, quas sanavit, quas sanctificavit cum maximo zelo et cum invicta patientia !

b) Quam ipsi jucundum est posse exclamare cum S. Bernardo : Nunc *hiems* doloris et laboris *transiit ;* nunc *imber* tribulationum *abiit* et *recessit*. *Onus diei* et grave *pondus* officii mei portavi, et ecce advenit vespera, ut *requiescam* a laboribus meis. Recedunt *vetera*, *nova* fiunt omnia. « Bonum certamen certavi, cursum consummavi,

fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ,quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex. » (II Tim., IV, 7,8.)

c) O quam jucundum ipsi nunc est sæcularia desideria abjecisse et suavissimum JESU jugum generosis humeris subiisse ! O quam jucundum pro tali ac tanto Domino laborasse, sudasse, mala sustinuisse, in ejus gloriam se totum impendisse !

d) O quam jucundum ex toto corde optimum Magistrum ejusque amantissimam Matrem tenerrime amasse, eorum amore multa inflammasse corda !

Ardentissimis votis anhelat ad cœlestem patriam, et cum ingenti caritate exclamat cum Apostolo: «Cupio dissolvi et esse cum Christo. » O vere « pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » (Ps. CXV,15.)

II. Legati consilia.

Siquidem mors certo certius ad unumquemque vestrum veniet, et cito, et forsan citissime ; ut vobis *amica* et *benigna* sit, ad eam *honorifice* dum veniat,excipiendam, *vos sedulo præparate.*

1° Frequenter renovate memoriam mortis. Hæc recordatio triplici vos donabit qualitate, propter quam *reverenter* ad vos mors accedet. Scilicet hæc recordatio reddet vos *vigiles*, dum intelligetis vos mori posse singulis momentis. Reddet vos *mundi contemptores ;* intelligetis enim rerum munda-

narum *vanitatem*. Reddet vos *bonos judices*, siquidem in luce mortis res conspiciuntur aliter quam tempore vitæ.

2° Optime vos præparabitis, si in laborando sit *intentio* vestra *pura*, *labor strenuus*, *invicta patientia*, *plena* cum voluntate Dei *conformatio*.

3° *Singulis diebus* ante cubitum, interrogate conscientiam, ut videatis an nihil remordeat conscientiam, ita ut mortis adventum minime debeatis timere, et simul elicite actum perfectæ contritionis. Bonum etiam est cogitare de modo, quo aliquando *jacebimus* in *feretro*.

4° *Singulis hebdomadis*, instituite *confessionem* ita ut ultima esse possit vitæ, et accipite sequentem *communionem* per modum viatici.

5° *Singulis mensibus*, occasione recollectionis menstruæ, serio inquiramus *an simus parati*. Simul omnes res in cubiculo ordinemus, etiam materialiter, *tamquam modo morituri*.

EXAMEN.

Circa fugam peccatorum.

In arte medendi *morbis corporis* quædam adhibentur ad *præveniendum* morbum ; quædam ad morbum, si ingruat, *depellendum* ; quædam ad impediendum quin mor-

bus, postquam depulsus fuerit a corpore, *iterum* corpus invadat.

Sic in cura *morborum spiritualium*, quæ sunt *peccata*, quædam proponuntur media quibus *caveamus* a nimia facilitate peccandi ; quædam quibus hac facilitate jam invalescente *liberemur;* quædam quibus *impediamur* quin ad eadem peccata *redeamus.*

Non sine fructu circa hanc triplicem medicinam spiritualem se examinabit sacerdos.

I. *Medicina* qua facilitas peccandi a nobis arceatur, est *seria recordatio* quarumdam *veritatum*, quæ maxime animam sacerdotalem movere solent, v. g. *Peccatum minuere veram sacerdotis felicitatem... peccatum esse stultitiam summam... peccatum impedire omnem cum Deo familiaritatem... peccatum impedire ministerii apostolici fructus... peccatum præparare sacerdoti morienti fontem amaritudinum... vitam esse brevem et incertam et ab ea pendere æternitatem.*

An ego has veritates frequenter revolvo mente easque diligenti meditatione identidem penitus inspicere conor ?

II. *Medicina* qua peccandi facilitas, jam invalescens, a nobis depellatur, *media* adhibet sequentia :

1º Non claudere oculos veritati, neque sibi fucum facere.

2° *Agnoscere* malum, idque *confiteri*.

3° *Resistere* naturali *pudori*, quem augere solet diabolus.

4° *Adhibere* media quæ efficacissima cognoscuntur ad extirpanda peccata, ut sunt *examina*, *frequens confessio*, *recollectio menstrua*, *recollectio annua*.

Quomodo his mediis uti soleo? An *serio*? An *constanter*? An non forsan *obiter* et *pro forma*?

III. *Medicina*, qua impediamur ne ad statum peccati relabamur, est *firma voluntas cavendi* sedulo a *fontibus tepiditatis*, qui sunt *negligentia rerum spiritualium*, *nimius commodorum amor*, *excessivus amor existimationis*, *animi dejectio*, *defectus sinceritatis*, *consuetudo instituendi crisim*, *imprudens commercium cum laicis*.

An ab his venenatis fontibus videor sufficienter cavere?

Domine JESU CHRISTE, ecce ego leprosus, variis peccatorum maculis aspersus, adoro Te. Extende manum gratiæ et pietatis; tange interiora et exteriora leprosi Te invocantis, et impera morbo peccati. Amen.

RECOLLECTIO XIX.

CONTEMPLATIO.

De prædicatione Jesu in templo.

1. Præl. In memoriam revocemus quomodo Christus quotidie in templo docuerit, et quomodo, finita prædicatione, in Bethaniam redierit, nullo ipsum Hierosolymis excipiente.

2. Præl. Aspiciamus oculo imaginationis templum et viam Hierosolymis ducentem in Bethaniam.

3. Præl. Petamus a Patre æterno gratiam imitandi JESUM in exercitio zeli.

Ium PUNCTUM.

« Et erat docens quotidie in templo. » (Luc., XIX, 47.)

1° *Oculos convertamus* in JESUM versantem in templo inter homines omnis ætatis, conditionis et status, qui ad ipsum confluebant. Vere « omnia omnibus factus, » neque est apud eum acceptio personarum. Quam patiens quam suavis ! quam misericors ! quam

benignus! « Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. » (Luc., XXI, 38.)

Cogitemus ad nos quoque pertinere illud: « Evangelizare pauperibus misit me. » (Luc., IV, 18)... Neque spectemus hominis exteriora; immo *omnibus* dicamus : Diligimus vos ex toto corde, et quærimus animas vestras salvare ; « empti enim estis pretio magno. » (I Cor., VI, 20.)

2° Audiamus prædicationem et doctrinam Christi.

Quid prædicabat JESUS? Procul dubio *regnum* Dei ; proinde ostendebat *vanitatem* hujus mundi et *magnitudinem* bonorum æternorum... ostendebat *impedimenta* salutis... indigitabat salutis *media*... Prædicabat amorem *paupertatis* et opprobriorum, simulque dæmonis *insidias* et *fallacias*.

Nostrum etiam est ea prædicare et docere, quibus judicamus nos posse populum avertere a *terrenis* et impellere ad *cælestia*. Atqui utilis erit nostra prædicatio, si nunquam prædicabimus quin habeamus *aliquem finem determi-*

natum, quem *volumus* prædicando attingere.

Quomodo prædicabat JESUS ? *a)* Prædicabat *nomine Patris :* « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. » (Joan., VII, 16.)

Sic nos non decet prædicare *nomine nostro*, vendendo scilicet *nostros* ingenii conceptus, *nostrum* stylum ; sed *auctoritate Dei* prædicemus oportet *Evangelium* atque *veritates* evangelicas.

b) JESUS prædicabat modo *simplici... claro... suavi...* eo nempe modo quo sciebat intellectum posse illuminari et voluntatem moveri. Ita prædicabat docebatque ut « omnis populus suspensus esset, audiens illum ». (Luc., XIX, 48.)

Utinam nostro modo prædicandi homines alliciamus ad nos audiendos libenter ! Eos autem alliciemus si, quæ dicimus, *bona* sint, seria meditatione *præparata*, cum *simplicitate* proposita, *suavitate* evangelica condita, et recta via ad audientium *mentes* et *corda* directa ; si præterea ea quæ elabuntur ex ore nostro, non aliunde profecta intelligantur quam ex corde vere sacer-

dotali, quod caritas Christi urget et ardentibus stimulis exagitat ad eos illuminandos, consolandos, omnique modo juvandos.

O quam sterilis evaderet mea prædicatio, si suspicari posset vel minime populus meus, me munus prædicandi subire vel ad *captandam* audientium *laudem*, vel ex *tristi necessitate* sub cujus pondere ingemisco, vel « propter pugillum hordei et fragmen panis. » (Ezech., XIII, 19.)

IIum PUNCTUM.

« Principes autem sacerdotum et scribæ, et principes plebis, quærebant illum perdere. » (Luc., XIX, 47.)

1° Videamus JESUM vespere cessantem a dicendo et prædicando, *fatigatum*. Et nemo eum invitabat ad hospitium, et nemo ei sitienti scyphum aquæ propinabat. E contrario multæ ei obveniebant *insidiæ* et *contradictiones* ex parte pharisæorum. Non tamen conqueritur JESUS quod *nullam* accipit pro tanto labore, pro tanta fatigatione *remunerationem*. Ecce *quotidie* cogitur

vespere redire in Bethaniam ; et dum iter facit, interrogatus a discipulis circa multa quæ per diem exceperant ex ore ejus, cum magna *caritate* et *patientia* discipulos iterum docet ; reduci autem domum novus labor subeundus est ad instruendum populum undique accurrentem, ita ut veluti in perpetuo labore versetur amantissimus noster Salvator.

Exemplo tuo doces nos, o Jesu, *amare laborem*, et quidem sine spe remunerationis humanæ.

Ergo nihil exspectemus ab hominibus pro laboribus nostris. *Quæ gratis accepimus, gratis demus*, ita ut cum Samuele dicere valeamus : « Loquimini de me coram Domino... si de manu cujusquam munus accepi.» (Reg., xii, 3.)

Si vero contigerit nobis pro laboribus accipere injurias, ingrati animi testimonia, fratrumque irrisiones, non conqueramur ; « non *enim* est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. » (Matth., x, 24.) Immo gaudeamus ex toto corde quod dederit nobis Deus ut cum suo dilecto Filio aliquam habeamus similitudinem.

« Nunquam deest persecutio christiano, ait sanctus Bernardus (Serm. in Conversione S. Pauli), sed neque Christo. Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique christiani dicuntur. » « *Quærebant illum perdere*, ait V. Beda (in cap. XIX, Luc.), vel quia *quotidie* docebat in templo; vel quia latrones ejecerat e templo; vel quia veniens illuc quasi Rex et Dominus, a tanta credentium turba laudem hymni cœlestis accepit; vel... quia plures ad eum audiendum confluere cernebant.»

Ergo, o bone sacerdos, noli mirari te propter zelum tuum obnoxium esse vel fratrum nonnullorum invidiæ. « Sed, ut ait S. Gregorius Magnus (Hom. 39 in Evang.), prædicationis verba JESUS nec indignis, nec ingratis subtrahit, » reddens eis bonum pro malo. Tu, o mi Frater, «hoc fac, et vives.» (Luc., x, 28.)

CONSIDERATIO.

De modo superandi impedimenta zeli apostolici ad exemplum S. Pauli.

Fassus est S. Joannes Chrysostomus se nunquam potuisse cogitare de Paulo quin

statim ad lacrymas usque commoveretur. Et non miror equidem ; nam nullus forsan est sanctus qui suo exemplo illis, qui ad vitam apostolicam vocati sunt, magis soleat animos addere et parere fiduciam quam S. Paulus. In vita ejus plane admirabili habemus unde satisfaciamus omnibus difficultatibus quibus diabolus vel amor noster proprius aliquoties conatur zelum nostrum apostolicum præpedire vel prorsus exstinguere.

Quid plerumque obstat quin et nos evadamus *apostoli* Christi et *salvatores* hominum ?

I. *Recordatio vitæ præteritæ.*

Vellem fieri sanctus, dicit aliquis, vellem esse alter Franciscus Salesius, alter Vincentius a Paulo, alter Franciscus Xaverius... Sed talis ac tantus fui peccator, jam a pueritia, immo et in ipso sacerdotio, ut stultum esset ac temerarium ad tale intendere, ad tantam celsitatem anhelare et adspirare.

Qui hujusmodi pusillanimitate laborat, audiat Paulum dicentem : « Audistis enim conversationem meam aliquando in judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam. » (Gal., I, 13.) Immo vocat se (I Tim.) inter peccatores *primum*, i. e. *maximum*. Quid fecit ? convertit se conversione vera, sincera, plena, constanti, ita ut in alium hominem mutatus fuerit,

et nunquam postea reversus est ad pristinas miserias. Utique frequenter *recogitat* vitam suam *præteritam*, sed ut hac recogitatione *se humiliet*, et se continue excitet ad reparanda præterita, fortius laborando, amando ardentius, alios amore et labore et generositate in apostolatu superando. Sic et tu, mi Frater, facias.

II. *Tentatio et immundi spiritus vexatio.*

Vide Paulum ! Elevatus jam fuerat ad tertium cœlum... innumeras animas lucratus fuerat Christo... stupenda operatus erat miracula, et ecce nihilominus objicitur diabolicæ vexationi. Obsecrat Dominum ut tanta miseria liberare dignetur suum apostolum, et liberatus non est ! « Datus est mihi, ait, stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. » (II Cor., XII, 7, 8, 9.) Quid Paulus in tanta vexatione ? An contristatur ? An animo dejicitur ? An omittit opera zeli ? An remissius laborat ? Minime sane. Sed quasi triumphabundus exclamat : « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi... Cum enim infirmor, tunc potens sum. » (II Cor., XII, 9, 10.) Gaudet, gloriatur, audet omnia. Et re quidem vera tentatio potest et ipsa converti in bonum,

dicente Paulo : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » (Rom., VIII., 28.) Tentatio est quædam *sancta stercoratio* quæ animam reddit fecundiorem... ; est *fornax pretiosa* in qua anima purificatur... ; est torcular in quo anima in rem pretiosissimam transmutatur... ; est *grando aurea*, qua cito ditescit anima... ; est *pugna* perducens animam ad certam et gloriosam victoriam. Dummodo, o pie sacerdos, tentatori resistas *prompte*, *fortiter*, *constanter*, *prudenter*, *dextere*, *orando* Dominum, ut fecit Paulus.

III. *Inopia talentorum.*

Quando adsunt sacerdoti talenta, diffiteri non possumus, hæc ipsi esse subsidium pretiosissimum, dummodo eis bene utatur. Sed actio apostolica ante omnia *supernaturalis* sit oportet. Secus vox apostoli esset *sonus aera verberans*, *æs sonans et cymbalum tinniens.* Palam clamat Paulus se non ponere suam fiduciam in persuasibilibus sapientiæ humanæ verbis, sed in virtute Christi, in prædicatione passionis ac mortis Domini. Profecto, in apostolatu plus proficit *talentum exiguum* cum *magna virtute*, quam *magnum talentum* cum *exigua virtute*. Experientia docuit *doctiores* non esse *aptiores* ad peccatores convertendos, sed eos qui vere *humiles* sunt, *mansueti*, præstantes *pietate*.

IV. *Hominum injustitia.*

Scimus quam multi sacerdotes, optimæ

quidem notæ et zelo ferventes, ad nihilum redacti fuerint propter quorumdam fratrum invidiam eorumque crisim et oblocutiones. Sed quis magis obnoxius fuit hominum malevolentiæ quam sanctus Paulus? Dixerat in Areopago atheniensi sublimia, et ecce « quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. » (Act., XVII, 32.) Deinde quot persecutiones passus est, quot calumnias devorare debuit! Quot ipsi fuerunt carceres! Quot flagella! Quot invidiæ ex parte falsorum fratrum! Et tamen his invitis, scribere potuit Paulus: «Verbum Dei non est alligatum.» (II Tim., II, 9.) Superior est omni calumnia, omni invidia, omni judicio humano. Audacter exclamat: « Qui autem judicat me, Dominus est! » (I Cor., IV, 4.) Si sciremus et nos humana judicia contemnere, irrisionesque invidorum premere generoso contemptu, non tam facile abrumperemus quod cum magno zelo inceperamus.

V. *Infirmitates corporis vitæque molestiæ.*

Non raro præpeditur zelus noster apostolicus corporis infirmitate et variis vitæ molestiis. Hoc novit diabolus ; quapropter si videat nos plus æquo sollicitos circa valetudinem nostram, efficere conatur ut propter vel minimam corporis ægritudinem evadamus inquieti, et statim a labore desistentes, toti simus in quærendo remedia omnis

generis,timentes ne gravior forsan contrahatur morbus. Quis non novit quosdam sacerdotes, magno talento præditos, doctos, pios atque vere bonos, minime respondisse fratrum et superiorum exspectationi, eo quod summa eorum sollicitudo esset ac fere sola occupatio *valetudinem curare*.Quod quidem in apostolo turpe est.

Fatetur S. Paulus se passum fuisse quidquid homo in hac terra pati potest. Incredibile est quanta sustinuerit ex parte rerum omnium quæ vexare solent homines. Sustinuit famem, sitim, frigus, egestatem, verbera, naufragia, vincula, fatigationes. An propterea segnior factus est apostolus? « Certus sum enim quia neque mors, neque vita..., neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro ». (Rom., VIII, 38, 39.) Ergo ope istius caritatis omnia superabat impedimenta. Et sic agendo pervenit S. Paulus ad altissimum gradum amoris *erga Christum Dominum*. Amor quodam modo illum transformavit in amatum ! Non loquitur nisi Christum, non cogitat nisi Christum. Si quæro quænam sit ipsius *sapientia :* « Non enim judicavi me scire aliquid inter vos,nisi JESUMCHRISTUM, et hunc crucifixum. » (I Cor., II, 2.) — Si quæro quid *magno æstimet :* « Existimo

omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam J.-C. Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » (Phil., III, 8.)

Si quæro quæ sit ipsius *gloria :* « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D.N.J.C.» (Galat., VI, 14.) — Si quæro quæ sint ipsius *consolationes :* « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. » (II Cor., I, 5.) — Si quæro quæ sit ipsius *eloquentia :* « Nos autem prædicamus Christum crucifixum. » (I Cor., I, 23.) — Si quæro quæ sint *cordis* ipsius *vota :* « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. » (Phil., I, 23.) — Si quæro quæ sint ipsius *insignia:* « Stigmata Domini JESU in corpore meo porto. » (Gal., VI, 17.) — Si quæro quæ sit ipsius *vita :* « Vivo autem. jam non ego, vivit vero in me Christus. » (Gal., II, 20.) — Christe vivebat, Christo laborabat, Christum prædicabat, Christo patiebatur, Christo mortuus est. Quam felix : Paulum imitemur! Sinamus *nos amore Christi* transformari in alios homines. Christo et nos vivamus, Christo laboremus, Christo patiamur, Christum prædicemus, Christo moriamur, et nos, ut Paulus, erimus felicissimi. Amen.

EXAMEN.

Circa tristitiam.

Est tristitia *bona*, est tristitia *mala ;* est tristitia *sanctorum*, est tristitia *peccatorum*. Pius sacerdos tristitiam peccatorum sedulo vitat ; tristitiam sanctorum sustinet libenter. « Tristemur tristitia quæ gaudii sit mater, et non lætemur gaudio quæ tristitiam pariat. » (S. Jo. Chrys., serm. 15 ad Philipp.)

I. Tristitia *bona*.

1° Tristitia *contritionis*. An tristor sincere et confidenter propter peccata mea ? An in quotidiana conscientiæ examinatione soleo in me excitare sanctum mœrorem propter Deum a me offensum ?

2° Tristitia *compassionis*. An non indifferenti oculo aspicio filios meos spirituales a via virtutum aberrantes, et in barathrum peccatorum se misere præcipitantes ?

3° Tristitia *devotionis*. An assuevi anhelare ad patriam, dicendo cum S. Ignatio : « Quam sordet mihi tellus,dum cœlum suspicio! » Et cum Davide : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! » Et cum S. Paulo : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » Et : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. »

4° Tristitia *dilectionis*. An ita Passionem Christi Domini et dolores B. M. V. mente recolere soleo, ut ex corde sancti gemitus et ex oculis piæ eliciantur lacrymæ ?

II. Tristitia *mala.*

« Is quem pœnitet adhæsisse Deo, ait S. Bernardus (Serm. de septem misericordiis, Dom. post Pent.), non modo non habet gratiam, sed et ei contumeliam reddit. » Et serm. 2, in Dom. 6 post Pent.: « Deum inhonorat, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore, eam dico tristitiam quæ secundum carnem est et mortem operatur. »

1° An non tristor tristitia *invidiæ*, concipiendo et nutriendo mœrorem de bona fratris actione deque ejus successu?

2° An non tristor tristitia *cupiditatis*, gemendo et conquerendo de damno temporali emergente aut de lucro cessante?

3° An non tristor tristitia *superbiæ*, animos despondendo vel propter negatam laudem, vel propter acceptam injuriam, vel propter impositam humiliationem?

4° An non tristor tristitia *ambitionis*, dolendo de negato officio ad quod adspirabam, et, quod pejus est, accusando superiores de injusta officiorum distributione?

5° An non tristor tristitia *pigritiæ*, non nisi ægre accedendo ad officia muneris mei, quæ non sinunt me dulciter quiescere?

6° An non tristor tristitia *iniquitatis*, implendo animam meam luctu et mœstitia, propterea quod contraxi peccandi consuetudinem?

O mi JESU, fac ut nunquam deleam oblivione hæc servorum tuorum verba : « Si vis nunquam tristis esse, bene vive. » (S. Isidor. Hisp.) « Non modo remuneratio, sed ipsa quoque *exspectatio justorum* lætitia. » (S. Bernard. serm. 37 in Cant.) « Tædere mens nullatenus potest, quæ tam jucunda bona lætanter videt... Bene quidem tristitia vincitur, si temporalium laborum præmia videantur ; quia unde electa mens temporaliter se affligi considerat, inde gaudere in cœlesti patria æternaliter sperat. » (S. Greg. Magn. l. V in I Reg., c. IV.)

RECOLLECTIO XX.

CONTEMPLATIO.

De Transfiguratione D. N. J. C.

1. Præl. Recordemur quomodo coram tribus discipulis transfiguratus fuerit JESUS, dum loqueretur cum Moyse et Elia, et quomodo discipulos consternatos erexerit.

2. Præl. Petamus a Deo Patre gratiam JESUM, in quo sibi complacuit, perfecte cognoscendi, ardenter amandi et cum docilitate audiendi.

I^um^ PUNCTUM. — **Jesus transfiguratur.**

«Assumit JESUS Petrum, et Jacobum, et Joannem... et ducit illos in montem excelsum seorsum.» (Matth., XVII, 1.)

1° *Assumit* hos tres Apostolos JESUS, quod quicumque vult gloriam Dei videre, oportet ut fidem *agnoscat*, sicut Petrus ; vitia supplantet, sicut Jacobus ; ad bene operandum *gratiam habeat*, sicut Joannes : omne enim meritum consistit in credendo verum, in declinando malum, in faciendo bonum. — O sacerdos, multo frequentius

Jesus te assumeret ad contemplanda cœlestia, si te videret credentem firmius credenda, vitantem cautius vel minimum peccatum, generosius bonum operantem.

2° *Duxit illos in montem excelsum*, non in vallem ; ut discamus gloriam, non in profundo hujus sæculi, sed in regno supernæ beatitudinis esse quærendam.

Seorsum ducit a strepitu, ut doceat nos solitudinem, cum internam tum externam, servire animæ consolationibus.

Ascendit autem in montem *ut oraret*, innuens oportere ut oraturi in montem virtutum ascendant, sursumque et non in imis corda habeant, atque continuis precibus insistant. — Ex his intelligere est, nos non posse contemplari Christum et considerare res divinas, nisi *ascendamus in montem seorsum*, 1° *per recollectionem* animi, tempore exercitiorum spiritualium; 2° *per contemptum* rerum hujus mundi. Ergo quo magis, o sacerdos, curaveris mentis recollectionem, et quo generosius contempseris commoda, gloriam propriamque volun

tatem, eo excelsius in monte tuæ perfectionis ascendes.

3° « Et resplenduit facies ejus sicut sol ; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. » (Matth., XVII, 2.) O mi JESU, hucusque te videram pauperem, humili opificio vacantem, multis ærumnis obnoxium, ab hominibus despectum : et ecce subito video te superna pulchritudine coruscantem, gloria circumdatum inaudita, solis radios lumine, quo vestiris, superantem, cœlestibusque deliciis perfusam. De hac admirabili tua transfiguratione tibi ex toto corde gratulor, et, quia amo te, quæcumque sint meæ miseriæ, volo tecum gaudere. Utinam, o mi JESU, oratio mea adeo fervens sit, ut et facies mea resplendeat radiis divinæ *caritatis*, et totum meum corpus quasi albedinem nivis induat per *castitatem*, tuæ castitati similem.

IIum PUNCTUM. — **Moyses et Elias apparent.**

« Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. » (Matth., XVII, 3.)

1º Hi duo, dum vivebant in terris, viri erant magnorum desideriorum. Tales admittuntur ad gustanda cœlestia. Forsan, o sacerdos, raro experiris inter orandum aliquid consolationis spiritualis, quia negligis nutrire in corde *desiderium* perfectionis tuæ atque sanctitatis. Desideria enim *alæ* sunt, quibus anima ad altiora sublevatur.

2º Apparuerunt cum Christo isti duo potius quam alii, alter *mortuus*, alter adhuc *vivus*, ut viventium et mortuorum, seu vitæ et mortis Dominus appareat; ut Justi, tam mortui quam vivi, regnaturi cum illo in gloria noscantur. Item ut ostendant ipsum esse quem Lex et Prophetæ prædixerunt et promiserunt, et luculenter appareat Legem et Prophetas a doctrina Christi non discordare. Per Moysen quidem significatur *Lex*, per Eliam multitudo *Prophetarum*, et per Dominum *Evangelium*. Apparuit ergo Dominus medius inter Moysen et Eliam, tamquam ipse et Evangelium haberent a Lege et Prophetis *testimonium*. Apparuerunt etiam Moyses et Elias, ut *ex omni*

parte Christus testimonium acciperet: de *cœlo* Patrem in voce, de *æthere* nubem, de *paradiso* Eliam, de *terra* Apostolos, et de *inferno* Moysen. (Ludolphus.) Quanta hinc tibi, o JESU, gloria! Quanta servis tuis fiducia atque in credendo firmitas!

3° «Et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.» (Luc., IX, 31.) *Passio* JESU merito vocatur *excessus*, nempe excessus *amoris*, *doloris*, *humilitatis*. Ibi enim *amor* fuit supra mensuram, secundum illud Joannis: «Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis» (Joan., XV, 13); *dolor* supra consuetudinem, secundum illud Threnorum: «O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus» (Thren., I, 12); *humilitas* supra virtutem, secundum illud Threnorum: «Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis.» (Thren., III, 19.) Tantus fuit, o JESU, excessus tui amoris, doloris atque humilitatis, ut Apostolus tuus Paulus ausus sit scribere te temetipsum *exina-*

nisse. (Phil., II, 7.) Vere dilexisti me et tradidisti te pro me. Fac ut vicissim diligam te et me tradam pro te, quemcumque humilitatis et doloris excessum libenti animo pro gloria tua sustinendo.

4° Ecce in mediis gaudiis hic sermo est de doloribus. Nonne quia dolores Christi *causa* sunt nostræ beatitudinis meritoria ? Nonne etiam ut doceamur in doloribus servare serenum vultum animumque intrepidum, et in ipsis tribulationibus gaudere ?

II^um^ PUNCTUM. — **S. Petrus exsultat.**

«Petrus dixit ad JESUM : Domine, bonum est nos hic esse.»(Matth., XVII, 4.) 1° Ut quidam pius scriptor observavit, exprimit Petrus animam, suas in *gustu spirituali* fundantem actiones : tunc bene omnia habere autumat, cum illo fruitur ; *at in tempore tribulationis recedit*, et cum Petro fugit, relicto Domino. Nonne fere mea hæc est animi dispositio ? Vellem profecto virtutem, sed eam vellem esse dulcem et facilem, non arduam et confragosam : omnis tamen *solida* virtus in arduo posita est, Hanc

cum gratia Dei in posterum sectabor.

2° « Visa Domini majestate et duorum servorum, Petrus adeo delectatus est, ut cuncta temporalia oblivioni traderet, et ibi in perpetuum vellet manere. Si autem Petrus sic accensus est, quanta erit suavitas et dulcedo videre Regem in decore suo, et interesse choris sanctorum omnium et angelorum? » (Remigius Antissiod. apud Ludolphum.) O libenter nunc laborabo, libenter patiar quantacumque, libenter devorabo opprobria, dummodo, o mi Deus, aliquando contingat mihi te videre in majestate tua, in tua gloria, in tuo decore.

3° « Faciamus hic tria tabernacula. » (Matth., XVII, 4.)

« Quid dicis, o sancte Petre, exclamat S. Augustinus. Mundus perit, et tu secretum quæris! Vides tot gentes in unum convenire, et tu quietem diligis! Vides tenebras mundi, et tu lumen abscondis! » Inebriatus Petrus una gutta vini cœlestis quam biberat, nesciebat quid diceret; in hoc tamen tuam devotionem ostendit, et in siti sui ardoris

monstrat judicium. Ad punctum horæ obliviscebatur hanc terram non esse patriam, sed ad patriam viam; non esse nunc tempus fruendi, sed laborandi, sed patiendi, sed animas Deo lucrandi. At, o sacerdos, si redarguitur Petrus quod sistere vult in *gustu cœlesti*, quam multo magis arguendus esses tu, si in *carnali gustu* tuarum commoditatum hæreres!

4° « Ecce vox de nube dicens : «Hic est Filius meus dilectus! » (Matth., XVII, 5.) Tota Trinitas hic apparet : Pater in voce, Filius in humana carne, Spiritus sanctus in nube : per quod intelligimus gloriam sanctorum consistere in fruitione beatæ Trinitatis. O quando veniam, et apparebo ante faciem tuam, o sanctissima Trinitas!

5° « Et accessit JESUS et tetigit eos.» (Matth., XVII, 7.) Beati illi quos tangit JESUS, beati illi quos tangit salus et vita! Illi enim surgunt; illi sine timore securi fiunt. Rogemus ergo eum ut et nos tangat, et a somno stuporis et insipientiæ excitet, et ad se videndum nobis oculos aperiat. Dulcis amicus est, quia pie consolatur et potenter suos adjuvat.

CONSIDERATIO.

De modo dirigendi vocationem.

Ars artium regimen animarum, tunc præsertim cum anima dirigenda est in vitæ statu seligendo. In auxilium illorum sacerdotum quibus hæc delicatissima demandata est provincia, in unum juvit colligere quæ hac de re probatissimi ascetæ scripserunt.

I. *Natura vocationis.*

Vocationis nomine intelligitur *inclinatio animi ad statum sæculari perfectiorem, immissa a Deo*, similis *voci externæ*, qua Christus Petrum et Andream invitans ad apostolatum, dixit : « Venite post me. »

Dicitur *inclinatio animi*, quia non est coactio, aut præceptum, sed *invitatio*, quæ componitur ex *cogitatione sancta* immissa intellectui, cui certus status tamquam grande *bonum spirituale* se exhibet; ex *affectione pia*, quæ movet se in voluntate tamquam *suavis tractio*, de qua loquitur S. Augustinus, cum ait: « Ostendis ovi ramum, et *trahis eam.* »

Dicitur deinde *inclinatio animi ad statum sæculari* perfectiorem: per *statum* intelligitur *stabile vitæ genus*, stabilitate instituta a Deo vel Ecclesia, in *bonum* animæ; atque in hoc sensu statuum tria sunt summa genera, status *matrimonii* bonus, status *cælibatus cum voto extra* religionem, melior, et

status cælibatus cum voto *intra* religionem, optimus. Ex hac explicatione sequitur ad statum sæcularem *ordinarie* non dari vocationem, sive *invitationem*, sed *ipsam negationem vocationis* ad cælibatum, sive clericalem, sive religiosum, esse vocationem ad matrimonium, vel certe ad statum sæcularem, quia Deus non *suadet* nisi quod *melius* aut *perfectius* est.

Dicitur postremo *inclinatio immissa a Deo*, quia vocationis, de qua hic sermo est, *causa efficiens* est *Providentia* et *BonitasDei*, ad quam pertinet, sicut *varios status* ordinavit pro hominibus, ita *idoneos homines* ordinare pro statibus, et cuilibet plantæ, quam ipse plantavit, destinare accommodum solum, in quo ferat fructum quem exigit.

Causæ autem *instrumentales* et *mentales* variæ sunt, quia liberum est rerum Domino *causis externis* quibuscumque uti ad efficiendam *inclinationem internam*, in qua diximus vocationis naturam consistere. Exempla variarum vocationum passim se offerunt, et scimus alios per *prodigia*, alios per *casum*, alios per *adversa*, alios per *beneficia*, alios per *lectionem*, alios per *exhortationem*, alios per *exempla* fuisse tractos ad perfectioris vitæ amplexum. Sed *modus ordinarius*, et tamquam *conditio sine qua non*, est *via deliberationis*, per quam aut *inclinatio* aliunde jam orta *examinatur*, aut si Deo videbitur, *excitatur*.

II. *Signa vocationis.*

Signa vocationis, scilicet, ex quibus dignosci possit *inclinatio ad statum* sitne a *natura*, an a *vitio*, an a *Deo*, alia *certa* sunt, alia *probabilia*, alia *dubia*.

Signa *dubia* ad prudentem electionem non sufficiunt ; *certa* exigere, nimium est ; *probabilibus* possumus esse contenti, quia talibus innixi, non eligimus *temere*, atque ita, etsi erraremus, innocens error foret.

Probabilis est vocatio ad quemvis statum, cum hæc tria concurrunt : 1° *probabilis aptitudo* corporis et animi ad functiones statui proprias ; 2° *probabilis spes admissionis* cum sublatione impedimentorum per media honesta ; 3° *inclinatio interna*, *probabiliter* habens auctorem Deum.

Atqui de *aptitudine* ac *spe* non est difficile formare *judicium prudens ;* summa difficultatis in dijudicanda *inclinatione* versatur. P. F. Neumayr quem fere ad verbum hucusque transcripsimus, sequentes ponit regulas :

1° Non omnis *cogitatio sancta* est a Deo ; potest enim excitari *naturaliter*, vel ab objecto externo, vel a speciebus acquisitis, vel ab ipso dæmone transfigurante se in angelum lucis.

2° Cogitatio sancta contraria *prudentiæ naturali* ordinarie non est a Deo, quia Deus non regit nos ex regulis *prudentiæ superna-*

turalis nisi in *casibus extraordinariis*. Itaque inclinatio ad statum quantumvis sanctum *ordinarie* non habet auctorem Deum, si deest probabilis *spes admissionis*, aut prudens judicium de *aptitudine*.

3° Cogitatio *prudens* simul et *sancta*, *certo* est a Deo, tunc cum et *origo*, et *finis*, et effectus est bonus ; *certo* non est a Deo, si nec *origo* nec *finis* nec effectus bonus est, et multo certius si *effectus est malus*, aut *impedimentum boni majoris*. Nam ex fructibus arbor cognoscitur, et Deus, ut diximus, non suadet nisi quod est melius. Serpens autem vel per caput, vel per caudam, vel per sibilum et venenum se prodit.

4° Cogitatio prudens simul et sancta probabiliter est a Deo, si saltem *unum* ex tribus sit sanctum, scilicet vel origo, vel finis, vel effectus, quia sic *saltem una* suppetit prudens ratio, judicandi pro vocatione divina, modo illam non evertant rationes oppositæ.

5° Modus deliberandi, cum homine apto ad plura, fundatur in uno dilemmate : vel sentis inclinationem ad unum statum præ alio, vel non ? Si nullam, ora ut sentias, et si neque post preces sentis aliquam, elige quem vis ; *prudens electio* æquivalet vocationi. Si autem antequam deliberas, inclinari te advertis, examina ex dictis, an sit inclinatio *prudens* ac *sancta* ; si talis est, sequere.

Sed dices: Inclinor modo ad hunc, modo ad alium statum. In hoc casu, age quod agit viator inter tres vias, quarum quælibet placet, hæsitans; interrogat virum peritum, et se determinat. Quid si inclinatio mutatur, et displicet status qui placuit? Respondeo: Indagetur displicentiæ origo, finis, effectus, et comparetur cum origine, fine, effectu inclinationis primæ. Nonne bene agam mutando me contra meam inclinationem, ex *spe boni majoris* præstandi in alio statu, ad quem non inclinor? Respondeo, si prima inclinatio *prudens* ac *sancta* fuit, et si spes *boni majoris* mere est dubia, nihil mutandum est.

Experientia docet illos fere omnes et solos esse homines aut *inutiles*, aut etiam *noxios* Ecclesiæ, quibus sacerdotii appetendi *causa* non Deus sed panis fuit, aut otium, aut lucrum, aut honor, aut caro et sanguis.

III. *Directio vocationis.*

1° *Directoris est* illum qui assumpturus est statum vitæ, ita dirigere *ut non ponat obicem divinæ vocationi*... ut illam *ultro oblatam non excutiat*... ut *agnoscere* sciat et *discernere* vocem Dei trahentis illique *obsequatur*... ut ipsum opus vocationis divinæ voluntati permittatur, atque ad hoc unum adhibeatur directio, ut talis vocatio vel *concipiatur*, vel *dignoscatur*, vel denique *acceptetur* et *exsecutioni* mandetur. Hos ter-

minos si fuero egressus, ait P. Druzbicki, putabo me falcem in alienam, nempe divinam messem, misisse ; proinde illud ut indignum cavebo.

2° *Directoris est* efficere ut *mature amoveantur perfectionis impedimenta*, ut sunt *peccata* et *amor nimius terrenorum*, maxime *pravæ consuetudines* et *familiaritates*.

Neque erit contentus inducere pœnitentem ad fugam peccatorum mortalium, sed ad quam maximum odium etiam venialium, ut umbram ipsam *voluntarii peccati* fugiat, adeoque et ipsas peccati occasiones.

3° *Directoris est ea media proponere* per quæ paulatim ille, quem dirigit, inducatur ad *desiderium Deo serviendi quam optime* Talia autem media sunt : confessio hebdomadaria et frequens communio; lectio spiritualis, vitæ præsertim sanctorum ; praxis nunquam satis laudanda examinis tum generalis, tum particularis ; meditatio quotidiana et frequens oratio; carnis mortificatio ; distributio eleemosynarum ; societas bonorum sociorum ; colloquia privata cum viris piis et doctis, qui non tua, non sua, sed *te*, sed *Deum*, quærant, qui solum *te salvari* et Deum glorificari cupiant.

4° *Directoris est attendere inspirationes divinas, et instinctus* quibus Deus pro sua omnipotentia atque misericordissima sapientia cor hominis *monet* in memoria, *illu-*

minat in intellectu, *movet* in voluntate, *delectat* in omnibus istis tribus potentiis, perstringendo cor et inclinando huc et illuc, nunc *spe certitudinis salutis*, nunc *timore periculoque damnationis*, nunc *suavitate* virtutis aut talis ac talis rationis vivendi et agendi.

Has inspirationes intimationesque voluntatis divinæ ex tribus præcipuis *signis* conjicere possumus.

a) Si eas Deus quasi *importune* et quandoque *minime disposito* obtrudit, et eas ingerit alia agenti.

b) Si eas dat et suggerit Deus, sive, quod idem est, si veniant *ultro*, — quærente vel non quærente me, inter orandum, inter usum sacramentorum, in auditione verbi divini, in lectione spirituali, in casu aliquo et eventu subitaneo, læto vel tristi. Est enim utrumque hoc signum vigilantis circa me et meam salutem gratiæ ac vocationis divinæ.

c) Si experior in me sentioque *obluctationem* et *voluntariam* affectatamque *surdescentiam* contra tales inspirationes, — quo, ait P. Druzbicki, nullum est certius signum vocationis divinæ. Illa enim pugna, repugnantia et affectata surdescentia aut repulsa, signum evidens est duos esse in meo corde spiritus, quorum unus est *pro salute mea*, seu contra carnem, sanguinem, superbiam, libertatem amoremque proprium et mundi; alius *pro me* et pro mea carne, voluntate,

mundi studiis, *contra salutem*, aut saltem cum dubio periculoque salutis. Ex quo discrimine spirituum facile est colligere, quis sit *a Deo* spiritus, quis *contra Deum*.

5° *Directoris est* ante oculos habere *deceptiones* a quibus summopere, qui electurus est statum, caveat necesse est.

Prima deceptio est, inveterata et præjudicata *affectus* applicatio ad aliquem statum sive *personam*, in aliquo statu positam, *cujus* causa ipse status amatur.

Secunda est, hanc solam in electione status sequi regulam et normam : « *Possum* in hoc etiam statu *salvari;* bene est, *sat est*, hunc inibo. » Deceptio igitur est ista ; aliud est *posse salvari*, aliud *salvatum iri*. Sane iste status vitæ non est ex hoc mensurandus quia in eo salvari possum ; in omni enim statu, qui peccaminosus non est natura sua, salvari possum, sicut et omnes possunt ; sed ille mihi quærendus est status in quo me Deus salvare decrevit, in quo salvari debeo, in quo salvandus sum, in quo certior salus mea. Dei ergo voluntas est mihi indaganda de *meo* statu ; neque debeo præcurrere voluntati Dei, neque illi obluctari, sed, quem ipse vult, *velle*, quem non vult, *nolle;* proinde ad omnes status vitæ licitos, quantum ex me *indifferens* et *resignatus* esse debeo, *quamdiu* divinæ voluntatis pondus ad aliquem certum statum non accesserit.

Tertia est, hærere in ancipiti, nullam vim inferendo sibi, nec dubiis finem imponendo firma determinatione ; cum tamen regnum cœlorum vim patiatur, et violenti rapiant illud.

Quarta est, timere perfectiorem vitam, tamquam duram, asperam, et in qua perseverare difficile sit. Sensit hoc ipsum initio conversionis suæ S. Augustinus, « hæsitans mori morti, ut vitæ viveret, » donec audivit vocem virtutis dicentem : « Quid in te stas, et non stas ? Projice te in Deum; noli metuere, non se subtrahet ut cadas ; projice te securus, excipiet te et sanabit te. » Idem ergo dici tibi puta ; qui dat *velle*, dabit et *perficere;* qui hæc dat *nosse*, dabit et *posse;* nihil ex tua parte desit, ex parte Dei nihil deerit

IV. *Deliberatio.*

Cum P. Druzbicki, illi qui *perplexus hæret.* inter aliquos status, ignarus quem eligere debeat, sequentem modum suggerimus.

Invocato Dei auxilio, tempore commodo :

1° Cogita quis ex his statibus tibi videatur esse magis *Deo* placens, gratus, acceptusque.

2° Cogita quis, ex his statibus, tibi videatur pro anima tua *securior* et *facilior.*

3° Cogita quis, ex his statibus, sit *Christo Domino, vitæ* ejus *doctrinæque conformior* et similior.

4° Cogita in quo, ex his statibus, possis esse *proximo utilior* ad salutem animæ.

5° Cogita quis, ex his statibus, sit *viribus* corporis tui, *dotibusque* ac *talentis* tuis aptior, et in quo *utilius* pro Deo talenta tua impendere possis.

6° Cogita ad quem, ex his statibus, tacito et interno, et identidem repetito mentis impulsu provocaris et moveris, quamvis remurmurante sensuali horrore.

7° Cogita in quo, ex his statibus, facilius Deo rationem vitæ reddere poteris in *morte* tua et in *judicio* Dei.

8° Cogita in quo, ex his statibus, pluribus occasionibus ad bonum, paucioribus vero ad malum abundabis.

9° Cogita in quo, ex his statibus, *facilius* in bono *perseverare* potes.

10° Cogita, si nunc morereris, in quo, ex his statibus, velles mori.

Ad has interrogationes, in omni sinceritate, coram Deo, tibi responde, et pro quo statu plures responsiones habueris, eum delige, consulto eo, cui fidis in Domino.

V. *Regula aurea* pro iis qui vocati sunt ad vitam religiosam.

Juxta doctrinam S. Th., 2. 2., q. 189, a. 10 ad 1^um^, quam suam facit Lessius in opusc. *De statu religioso*, c. v, si quis, ductus *motivo supernaturali*, v. g. ut vitet pericula mundi, ut certius salvet animam suam ; ut

perfectius imitetur Filium Dei ; ut se totum famulatui Dei devoveat, sequendo consilia evangelica ; ut se erga Deum generosum ac liberalem exhibeat ; ut efficacius saluti aliorum incumbere valeat ; ut certius ad sanctitatem perveniat... *experitur in se animos et vires ad deserendum sæculum et ad amplectendum statum religiosum, et de facto eum amplectitur... signum habet certissimum hanc vocationem venire a Deo.* « Illi, ait angelicus doctor, qui ad religionem accedit, *non potest esse dubium*, an propositum de ingressu religionis in corde ejus exortum sit a Spiritu Dei, *cujus est* ducere hominem in terram rectam. »

Hinc quanta *vocatis* securitas atque consolatio !

EXAMEN.

Circa consolationem spiritualem.

Consolatio spiritualis vocatur quæcumque animæ motio interior, qua quis excitatur ad amorem Dei ; item quodlibet fidei, spei et caritatis augmentum ; pariter omnis lætitia quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam, impellit.

1° An non plus æquo appeto consolationes spirituales, ita ut videar in famulatu Dei quærere consolationem potius quam consolatorem ?

2° An non ita adhæreo consolationibus ut, iis deficientibus, minus fidelis evadam et minus generosus ?

3° An non e contrario propria culpa me consolationibus divinis privare soleo, per multiloquium, vel per exquisitionem consolationis humanæ ?

4° An non mihi deest consolatio ex *celebratione Missæ*, quia ad eam me non præparo, vel quia levius tracto res divinas et cum voluntaria distractione ?

5° An non mihi deest consolatio ex *actione gratiarum*, quia statim post missam incipio confabulari, aut me trado inopportunis sollicitudinibus, vel quia non sat firma fide cogito de præsentia JESU in corde meo?

6° An non mihi deest consolatio ex *recitatione divini officii*, quia illud recito non tempore debito, vel in loco non convenienti, vel sine reverentia et attentione ?

7° An non mihi deest consolatio ex *conscientiæ examine*, quia illud facilius omitto, vel in aliud tempus differo, vel obiter instituo sine vero emendationis proposito ?

8° An non mihi deest consolatio ex *confessione mea*, quia absque præparatione soleo peccata mea confiteri, vel quia confiteor peccata sacerdoti parum sollicito de meo profectu, vel quia nulla fere mihi est diligentia circa contritionem et firmitatem propositi ?

9° An non mihi deest consolatio ex *visitatione Sanctissimi*, vel quia rarius eam instituo, brevius et sine ulla sancta familiaritate erga Amicum Tabernaculi?

10° An non mihi deest consolatio ex *lectione spirituali*, vel quia eam facilius omitto, vel quia libros lego levioris styli, et potius ad pascendam curiositatem quam ad fovendum cordis affectum?

11° An non mihi deest consolatio ex *recitatione coronæ* B. M. V. quia recito eam cum distractione et sine ulla attentione ad mysteria?

12° An non mihi deest consolatio ex *administratione sacramentorum*, quæ administrare assuevi materialiter potius quam sancte? O si sancta sancte tractarem, quantarum mihi aperirem fontem consolationum!

RECOLLECTIO XXI.

CONTEMPLATIO.

De ultima Cœna, seu de Testamento Jesu.

1. Præl. Repræsentemus nobis JESUM accumbentem mensæ cum discipulis in ultima cœna. Videamus eum manducantem agnum paschalem, lavantem discipulorum pedes, SS. Eucharistiam instituentem.

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi quanto amore JESUS ducatur ad agendum quod agit, ut amantem ardenter redamemus et Illum ex amore et cum amore per omnia imitemur.

Nos sacerdotes, ut filii nobilissimæ familiæ in unum congregati, cum magna reverentia, cum grato animo et cum ingenti amore aperiamus et piis oculis inspiciamus *testamentum*, quod antequam moreretur, nobis reliquit JESUS, quodque conscribendum curavit a suis Evangelistis. In hoc divino testamento nobis filiis suis tria legavit amantissimus pater: *desiderium cordis*, *exemplum*, *donum*. Hæc tria perpendamus.

Ium PUNCTUM. — **Desiderium cordis.**

Hoc desiderium expressit *sæpius* et verbis clarissimis atque ignitis, scilicet ut *discipuli sui se invicem diligant*, sicut ipse eos dilexit, utque *unum sint*, sicut Ipse et Pater unum sunt.

Hoc desiderium cordis JESU impleverunt discipuli: se admirabili caritate prosecuti sunt invicem, et sua caritate mundum domuerunt et JESU lucrati sunt. Nostrum est etiam JESU desiderio respondere, 1° nos invicem diligendo, 2° maximam inter nos unionem servando.

1° *Nos invicem diligendo.*

Ad hoc desiderium implendum necesse est ut dilectio nostra *supernaturalis* sit, nitens motivis non mere humanis sed ex fide desumptis, nempe *a)* quia est mandatum JESU... *b)* quia « frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma » (Prov., XVIII, 19)... *c)* quia ex caritate mutua sacerdotum mira est populi ædificatio. « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » (Joan. XIII, 35.) Necesse est sit præ-

terea *universalis*, nullum excludens sacerdotem... *constans*, ita ut de illa dici possit : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem » (Cant., VIII, 7)... *adæquata*, qualis erit, si diligamus fratrem *mente*, *corde*, *ore* et *opere*.

Igitur volo, o mi JESU, memetipsum inspicere, ut videam an in corde meo nullum jam germen inimicitiæ, rancoris, aversionis sit. Volo fratri meo condonare errata, sicut tu mihi errata condonasti.

2° *Unionem maximam inter nos servando.*

Mirabili modo et quasi per gradus nos inducit Spiritus sanctus ad unionem animorum perfectissimam, eam comparando *regno*, in quo, etsi censentur omnes conspirare in bonum patriæ, tamen divisiones sunt et non raro rebelliones intestinæ — *civitati*, in qua viget hominum unio, neque tamen raro videre est quasdam familias divisas inter se— *familiæ*, in qua jam perfectius inter se conjunguntur animi, sed ita tamen ut in ea discordia esse possit— *corpori* in quo maxima quidem est unio

inter membra, licet aliquando membrum vitiosum resecari oporteat — *animæ*, in qua etsi vera inest unio, tamen varii affectus possunt oriri, puta tristitia et lætitia, ita ut non sit unitas affectuum.

Atqui vis, o JESU, ut unio inter nos talis sit, qua major esse non possit; propterea proponis nobis imitandam unionem personarum sanctissimæ Trinitatis : « Unum sint sicut nos unum sumus. » Ergo quodam modo *divina* esse debet nostra inter nos unio ! O sacerdos, ad quantam vocatus es perfectionem ! Utinam, o mi Deus, unitis viribus, conjunctisque intime animis, videamur omnes unanimi conatu propellere currum gloriæ tuæ et salutis animarum !

IIum PUNCTUM. — **Exemplum.**

« Surgit *JESUS* a cœna et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus... » Cum recubuisset iterum, dixit eis :« Exemplum enim dedi vobis,

ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » (Joan., XIII.)

Quis lavit pedes ?.... *Quorum ?*..... *Quomodo ?*... *Quare ?*

Ecce, o mi Salvator amantissime, voluisti in fine vitæ hoc nobis dare exemplum *caritatis* simul et *humilitatis*, idque dedisti suavissima simplicitate, et tantæ fuit fecunditatis ut mundi faciem prorsus mutaverit.

Nonne ab hoc momento, o mi JESU, orta sunt ubique terrarum innumera hospitia pauperum, ægrotorum, orphanorum, et nata est in omnibus hominum ordinibus admirabilis æmulatio caritatis? Ingens igitur mundo fuit *beneficium* hic caritatis humilitatisque actus, pro quo beneficio tibi ago gratias ex toto corde. Fac ut inter sacerdotes tuos ubique sit sancta æmulatio caritatis.

III^um^ PUNCTUM. — **Donum.**

Non semel in recollectionibus nostris consideravimus magnitudinem doni, quo Dominus dedit nobis corpus suum in cibum et sanguinem in potum; conati sumus intelligere magnitudinem illius

doni tum ex *re* data, tum ex *modo* quo datum est nobis, tum ex adjuncto *temporis* aliarumque circumstantiarum, tum ex *verbis* quibus usus est JESUS, tum ex *triplici fine* quem intendit.

Superest ut videamus num nos sacerdotes tanto beneficio digne respondeamus. Non sane nobis licet unquam oblivisci nos factos esse sacerdotes, per miram Dei dignationem, propter Eucharistiam. An igitur *toti* sumus Eucharistiæ ? An sufficiens nobis diligentia erga personam Regis nostri in tabernaculo commorantis ? Procul dubio turpe esset, si sacerdos sineret se ab aliis superari devotione erga S. Eucharistiam. Qualis autem meus est *zelus* ad promovendam fidelium pietatem erga hoc tantum sacramentum ? An mea cura atque solertia parochiani, alumni mei meique pœnitentes frequentius visitant tabernaculum, frequentius accipiunt communionem, frequentius intersunt missæ sacrificio ? An ita ego me devotum exhibeo erga S. Eucharistiam ut omnibus valeam esse exemplo ? Obsecro te, Domine, ut facere

me digneris apostolum Eucharistiæ, adeo ut soli Eucharistiæ vivere credar, et omnibus elucescat in ea me haurire gaudium, pacem atque veram felicitatem. Amen.

CONSIDERATIO.

De devotione sacerdotis erga Cor Jesu.

Duo pro certis habere debemus : primum, voluntatem Dei esse ut Cor Filii sui magis ac magis in dies ab hominibus cognoscatur, diligatur atque omni honore afficiatur ; alterum, Deum voluisse sacerdotibus suis hanc committere provinciam, ut per eos cæteri fideles de devotione erga Cor JESU instruerentur, atque ipsa hæc devotio per eos omni conatu propagaretur et ubique quam maxime floreret. Hinc concluditur merito sacerdotibus *valde propriam* esse *devotionem* erga Cor JESU et in ea sacerdotes debere super alios excellere. Tanta deberet esse sacerdotis devotio erga Cor JESU ut ejus vitam totam aliquo modo penetrasse et informasse credatur. Atqui tota vita sacerdotis constat *studio* et *actione; studendo* enim et *agendo* pro gloria Dei terit dies, terit annos. His duobus subsidiis vere sacerdotalibus uti deberet sacerdos ad honorandum Cor JESU *in se* et in *aliis*, adeo ut

cum veritate dici posset Cordis JESU *doctor* et *cultor*, doctor pro aliis, cultor pro se : doctor autem *fidelis* erit, si sit cultor *eximius*.

Cultor eximius erit si intentioni JESU, devotionem Cordis sui revelantis, satagat omni modo respondere.

Quid voluit JESUS dum nobis aperuit Cor suum circumdatum *flammis*, *spinis* coronatum, cum *cruce* intime conjunctum, nisi pectora nostra movere ad redamandum eum, qui tanto nos amore dilexit ut doloribus maximis et morti turpissimæ non dubitaverit se submittere? Voluit Dominus JESUS nos inducere ad *vitandum ex amore* quidquid cordi suo maxime *displicere* cognoscitur, ad *faciendum* quidquid cordi suo intelligitur *placiturum*.

Ergo sacerdos, si se *eximium* cordis JESU *cultorem* probare voluerit, quidquid Cordi JESU displicet, vitabit, quidquid Cordi JESU placet, præstabit.

I. *Quid solet Cordi Jesu displicere ?*

Ex vita sanctorum et ex authenticis scriptis Beatæ Margaritæ Mariæ intelligere est cor JESU in viris religiosis et ecclesiasticis tria præsertim abhorrere. Abhorret quidquid contrarium est *caritati fraternæ ;* abhorret quidquid contrarium est *obedientiæ ;* abhorret quidquid contrarium est *reverentiæ* sanctissimo Sacramento Altaris *debitæ*.

1° Igitur omni cura et diligentia amoveamus a mente nostra, a nostro corde, a labiis nostris quidquid non spiraret perfectam caritatem erga fratres, erga subditos, erga omnes. — Judicia nostra, nostræ interpretationes, conformia sint caritati. — Affectus nostri, verba nostra, tota nostra ratio agendi caritatem redoleant.

O quam jucundum esset Cordi JESU, si a suis dilectis sacerdotibus nullus contra caritatem defectus voluntarie committeretur !

2° Eadem cura ac diligentia vitemus quidquid sciremus minuere perfectionem nostræ obedientiæ. Profecto obediendum nobis est Summo Pontifici ; obediendum est Episcopo ; obediendum est aliis immediatis superioribus nostris ; tandem obediendum est statutis, legitima auctoritate nobis impositis. Displicet Cordi JESU vehementer obedientia quæ *manca* esset, mere *humana* et *imperfecta*. Ut ergo Cordi JESU hæc displicentia non sit ex nostra parte, assuescamus omnibus superioribus obedire *prompte*, *alacri animo*, cum *gaudio* et in spiritu fidei. Assuescamus etiam Superiores nostros *oculo fidei* aspicere, et in eis videamus non quidem homines erroribus et miseriis obnoxios, sed vices gerentes Dei ejusque providentiæ instrumenta pro nostra felicitate. — Proinde quidquid præcipit superior, quidquid præci-

piunt Statuta, *fiat*, et fiat *sine cunctatione*, *sine murmuratione*, *gaudenter* et *sancte*.

Quanta lætitia afficeremus Cor JESU, si videret inter nos sanctam quamdam æmulationem ad nos invicem superandos perfectione nostræ obedientiæ!

3° Non minor sit zelus ad vitandum tertium quod displicet Cordi JESU, *irreverentiam*, *socordiam* et *levitatem* in rebus sanctis tractandis. — Dum aspicit nos JESUS e suo Tabernaculo, sive missam celebrantes, sive administrantes sacramenta, sive orationi vacantes, sive instituentes visitationem Sanctissimi, videat nos *pios*, videat nos *modestos*, videat nos mente recollectos, videat *totos compositos in adorationem*, et *animo intentos* in res sanctissimas quas tunc peragimus. — Id quidem appareat in modo genuflectendi, in modo incedendi, in modo nos tenendi, in modo preces recitandi. Et quoties multi simul in unum congregantur sacerdotes pro aliqua solemniori cæremonia, utinam tunc eos videat JESUS tamquam cœtum Angelorum!

II. *Quid solet Cordi Jesu maximopere placere?*

In dubium vocari non potest quin præ cæteris virtutibus has in animis suorum Sacerdotum vigere exoptet vehementer: *puritatem*, *humilitatem*, *mansuetudinem*.

1° *Puritatem*. Ipse enim puritas est, et

non potest amare nisi quod purum est: « *Pascitur enim inter lilia ;* » liliis vult circumdari. Placebit ergo Cordi JESU, si omnes, quotquot sumus sacerdotes, ita *puritatem conscientiæ* sectati fuerimus, ut nulla macula, saltem voluntaria, animam nostram obnubilasse videatur. Vitabimus igitur *peccatum* quodcumque, etiam minimum, ut sic puritatem cordis JESU æmulari valeamus. Omnia *munda* in nobis inveniat JESUS, dum singulis diebus, tantus est ejus erga nos amor, dignatur in domo nostra manere per communionem. Ipsi mundæ sint cogitationes nostræ, mundi cordis nostri affectus, mundi oculorum conjectus, munda labia nostra.

2° *Humilitatem.* Nonne dixit aperte : « Discite a me quia mitis et humilis corde?» Ut cordi JESU placeamus, *humiles* simus, ut ipse JESUS humilis fuit.

Humilis fuit JESUS toto homine : humilis in *intellectu*, humilis in *voluntate*, humilis in *intentione*, humilis in *verbis*, humilis in *actione.*

Absque dubio Cordi JESU placebimus, si nos sibi similes viderit nostra humilitate. Proinde ut JESUS, parvi faciamus honores, gloriam hujus mundi. Ut JESUS, existimationem et hominum plausus minime appetamus ; appetamus potius opprobria et contemptus. Ut JESUS, omnia nostra bona accepta referamus Deo, et quidquid a nobis

feliciter gestum fuerit, ad ipsius gloriam dirigamus. Ut JESUS, ab ore nostro amoveamus quæ vel minime vanitatem saperent vel superbiam. Tandem ut JESUS, humiles et modestos nos exhibeamus in omni nostro opere et agendi ratione.

3° *Mansuetudinem.* Ut Cordi JESU placeamus, necesse est ut etiam ipsius imitemur mansuetudinem.

Mitissimus fuit JESUS *interius* atque *exterius.*

a) *Interius. Sui* semper *similis*, semper *sibi æqualis*, *animo* semper *tranquillo*, ab omni *inordinato motu* semper abstinuit. Iram seu vindictæ appetitum prorsus ignoravit ; indignationem compescuit ; zelum temperavit, etiam cum fuit exercendus.

b) In *alloquio* et *moribus* comis et blandus, amabilis, omnibus affabilis.

c) In *actione.* Nulli omnino nocuit ; omnibus benefecit. Quam suaviter et mansuete agebat cum discipulis, peccatoribus, pauperibus, parvulis !

An fruimur nos pace ? An animi dispositio non continue mutatur in horas ? Quot forsan inordinati motus ! An sufficienter comprimitur vindictæ appetitus, rancoris et iræ stimulus ?

Quænam *mea* in alloquio *affabilitas*, in moribus *suavitas ?* An *mansuete* ago erga fratres, erga famulam, erga officiales eccle-

siæ, erga pauperes, erga adversarios, erga peccatores in tribunali pœnitentiæ ?

O JESU, concede nobis ut, vitando quæ cordi tuo displicent, numerum minuamus spinarum quibus hoc cor dulcissimum compungitur ; et faciendo ex amore quæ cordi tuo placent, augeamus flammas quæ cordis tui corona sunt et gloria. Amen.

EXAMEN.

Circa opera misericordiæ.

Audivimus modo JESUM exhortantem nos ad lavandos pedes fratrum nostrorum. Quid est *pedes fratrum suorum lavare*, nisi *opera caritatis humilia* præstare minimis præsertim fratribus, qui sunt ægroti, pauperes, pueri, peccatores, afflicti ? Quomodo hucusque exhortationi JESU respondi ?

I. *Ægroti.* An sollicite quæro cognoscere quinam in mea parœcia ægritudine detineantur ? An mature et sponte eos visito ? An studiose eos præparo ad ultima sacramenta? An moribundis quotiescumque id mihi licet, fideliter adsisto ? An identidem admoneo parochianos ut me tempestive certiorem faciant de suo vel suorum morbo, ut nullus mea culpa imparatus moriatur ?

II. *Pauperes.* An eorum necessitatibus, tum in re temporali, tum præsertim in re spirituali, sedulo invigilo ? An in cathedra

et in confessionali eos doceo patienter incommoda suæ paupertatis pro amore Dei tolerare? An soleo eos exhortari ad fiduciam habendam maximam in paterna Dei providentia? An eos ad me accedentes paterne et benigne excipio et pro modulo conor consolari? An non videor libentius operam meam impendere divitibus quam pauperibus? An non majori utor misericordia et lenitate erga divites et potentes, quam erga pauperes et misellos?

III. *Pueri.* An prudenter admoneo parentes de cura impendenda proli suæ, ut jam a teneris annis pueri doceantur bene orare et sensa in se nutrire solidæ pietatis? An magna mihi est diligentia in explicanda doctrina christiana? An singularis mihi est et constans sollicitudo de præparandis parvulis ad primam communionem? An peracta prima communione eos non desero? An curavi instituenda in mea parœcia ea opera, quibus juventus conservari queat in bono statu, et perfici in cognitione sanctæ nostræ religionis? An prudenter parochianos meos instruo de sanctitate matrimonii et eos ad matrimonium christiane contrahendum dispono?

IV. *Peccatores.* An ita loquor et ago ut omnes intelligant me esse *vicarium* amoris Christi erga peccatores? An non meo modo concionandi plus æquo deterreo peccatores,

ita ut ad meum confessionale vix audeant accedere? An in ipso confessionali pœnitentes non dure et impatienter objurgo, et ita ut adstantes fideles intelligant ex altiori mea voce rem me habere cum magno peccatore? An non contentus sum dare absolutionem, nullo addito verbo ad animandum vel dirigendum pœnitentem?

V. *Afflicti.* An mihi persuasum est nos commorari in valle lacrymarum, et meum esse lacrymas meorum parochianorum abstergere earumque amaritudinem lenire? An etiam parochianis meis persuasum est me esse omnium patrem omnesque cum filiali fiducia ad me confugere posse?

Benignissime JESU, concede mihi ita incumbere operibus misericordiæ ut in me experiri valeam quam merito dixeris: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Amen.

RECOLLECTIO XXII.

CONSIDERATIO.

De Mysteriis factis inde a cruce usque ad sepulcrum Jesu.

1. Præl. Conspiciamus amicos JESU, corpus ejus de Cruce deponentes in ulnas benedictæ Matris, et inde illud cum maxima reverentia ad sepulcrum deferentes.

2. Præl. Petamus a Deo Patre gratiam Matri JESU dolorosissimæ compatiendi *fructuose.*

I[um] PUNCTUM. — **Depositio Jesu de cruce.**

1° *Personæ.*

Jesus... Ecce pendet mortuus !... Recolamus mente amarissimam ipsius mortem, considerantes quam *fortiter* quamque *amanter* eam acceperit. Ex toto corde ipsi gratias agamus de tanta erga nos miseros bonitate.

Maria... afflictissima... Mater valde affectuosa... Tantus ejus *dolor* quantus *amor*... *Amabat* ut filium... ut unigenitum... ut amabilissimum... ut benefactorem... ut Deum de se optime meritum... Perfectissime penetrabat

dignitatem patientis et adjuncta cætera quæ dolorem augebant... Sentiebat singula in corde. Quanta fortitudo! Fac, o Maria, ut fortitudinem tuam in adversis imitemur.

2° *Verba.*

Joseph ab Arimathea audacter adiit Pilatum et *petiit corpus Jesu.* Quid melius, quid pretiosius petere potuisset? Vox ejus zelo plena fuit et intrepida. Talis debet esse vox nostra, quando causa Dei agitur.

3° *Opera.*

a) Jesus non *descendit* de cruce, sed *deponitur.* Sic nos in aliquo officio constituti, non ex impatientia vel ex tædio officium deseramus, sed in eo maneamus quamdiu id exigit superioris voluntas.

b) Maria accipit corpus Filii in ulnas... Contemplatur piissime singula vulnera et affectuosissime osculatur. Duos filios habuit quorum unus alterum occidit. Ego ille!

c) Joseph et *Nicodemus* deponunt de cruce corpus Jesu, quanta cum reverentia, quanto cum dolore!

d) Ego, si volo, possum etiam aliquo modo JESUM deponere de cruce, in me et in aliis destruendo peccatum.

IIum PUNCTUM. — **Sepultura D. N. J. C.**

1° *Personæ.*

Videndo Joseph et Nicodemum, circa sepulturam JESU sollicitos, non possumus non mirari Dei singularem *providentiam* erga pauperes suos ab hominibus derelictos. Ecce JESUS meus, pauperrimus..., derelictus..., accipit tamen sepulcrum *novum*... incisum in petra... sindonem mundam et aromata. Sepeliunt eum *dives* et *princeps*, ut prædixerat Propheta. Hinc mihi fiducia.

Consideremus etiam quanta cura sit Beatissimæ Virginis ut Filius suus quam decentissime sepeliatur.

Ipsis nos conjungamus eique obsequia nostra offeramus.

2° *Verba.*

Pauca dicuntur ; sed audiuntur suspiria, gemitus, singultus... Quales omnium affectus !

3° *Opera.*

Adhibent *aromata ;* involvunt cor-

pus JESU *sindone munda* idque deferunt cum mœrore et fletu ad sepulcrum *excisum* in rupe ; sepulcrum diligenter *claudunt.*

Quotidie deponitur corpus Dominicum in corde nostro. Utinam ipsi offeramus sindonem *puritatis*, aromata *virtutum*, *firmitatem* petræ. Utinam sepulcrum teneatur clausum. Fac, o JESU, ut nunquam cor nostrum tibi sit veluti *cloaca* et *sentina* defectuum et peccatorum.

Quid *Maria* et *amici fideles* JESU patiuntur ?

Quid facit *divinitas ?* Non impedit quin *patiantur.*

Quid ego ? Recordabor « Deum castigare omnem filium quem recipit ; probat enim quos amat. »

III^um^ PUNCTUM. — **Custodes.**

1° *Personæ.*

Videamus Pharisæos obduratos. Alii commoti fuerunt ex spectaculo Dei morientis ; ipsi inde *pejores* facti sunt. Vere *abyssus abyssum invocat.* O Deus bone, erubesco coram te quod, dum

aliis explico quæ passus est tanto cum amore Filius tuus dilectissimus, et elicio ex oculis omnium me audientium piissimas lacrymas, solus maneo absque dolore, absque cordis affectu. O sancta Mater, « fac me tecum pie flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero. Juxta crucem tecum stare, et me tibi sociare in planctu desidero. »

2° *Verba.*

Quam ignominiosa JESU ! Recordati sumus quod *seductor* ille adhuc vivens... *Seductor*, hoc appellatur nomine JESUS CHRISTUS ad solatium servorum suorum, quando vocantur ipsi *seductores*. (S. Aug. in Ps. LXIII.)

3° *Opera.*

Nescientes inserviunt divinæ Providentiæ adversarii JESU. Custodes sepulcri testes fient irrefragabiles resurrectionis Domini. Quam verum est, *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum !*

Contemplemur Mariam in mœrore constitutam. Non potuit non recordari prophetiæ S. Simeonis. Vere transivit animam ipsius gladius doloris... Quam

afflicta fuit optima Mater! Compatiamur ei! Eam consolemur.

CONSIDERATIO.

De exercitiis spiritualibus quotidianis.

« Accedite ad Eum, et illuminamini. » (Ps. XXXIII, 6.)

Quid esset homo sine lumine naturali? Quam tristis foret vita ejus, quam misera! Si carentia luminis tam miseram redderet vitam naturalem, quid dicendum de carentia luminis supernaturalis? Quam tristis, quam dejecta anima quæ luce divina non illustratur! Quam læta, quam vivida, quam beata anima divino lumine irradiata!

Sed qua ratione hæc lux sancta accipitur? Psalmista respondet : « Accedite ad Eum, et illuminamini. » Accedite ad Deum, et ipse vos illuminabit.

Quid autem est *accedere ad Deum?* Est *recte orare ;* est *recte uti exercitiis spiritualibus.* Juvabit igitur aliquid dicere de *quotidiana nostra oratione.* Circa quam utile erit tria indagare : 1° Quænam sint orationis quotidianæ *jucunditates ;* 2° Quænam sint *difficultates ;* 3° Quænam ratio has difficultates superandi.

I. — Orationis jucunditates.

1° Jucundum est homini posse tractare de rebus suis intimis cum viro sapienti, docto,

benevolo, potenti, cui tuto communicare possit quæ vel maxime secreta sunt. Atqui vacare orationi quotidianæ est tractare de rebus suis cum *amico* sapientissimo, potentissimo, quam maxime benevolo, qui dixit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. »

2° Jucundum sane esset tibi, o sacerdos, dum ædificas ecclesiam, posse adire aliquem magnatem, divitem, qui declararet tibi valde sibi esse gratum quod ab ipso petas pecuniam ad ædificationem ecclesiæ necessariam. Atqui jubemur Deo erigere templum spirituale, et idem Dominus nobis dixit multoties : « Petite et accipietis. » *Urget* quidem nos ad petendum, dicens : « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. » (Joan., XVI, 24)

3° Jucundum esset *ægroto*, si posset *medicum* arcessere *peritissimum*, qui nosset omnium morborum naturam et ad eos depellendos citissime medicinam haberet efficacissimam. Nonne JESUS medicus est divina sapientia præditus et tantæ bonitatis ut quicumque in humili oratione malum, quo affligitur, ipsi aperit, confestim in pristinum sanitatis statum restituatur ?

4° Jucundum esset *mendico*, si posset adire domum viri ditissimi, qui ei dixisset : « Quo frequentius pulsaveris ostium domus

meæ, eo mihi gratior eris : et quo plura petiveris, eo libentius dabo. » Atqui *pauperes* sumus nos et Domini *mendici*. Invitat autem nos benignissimus illeet ditissimus Dominus ut quam frequentissime ipsum adeamus, petituri quidquid est in votis ; et si congrua fuerit fiducia, possumus ex *mendicis* repente fieri *divites*.

5° Jucundum profecto esset ei qui perstringitur *frigore*, posse accedere *ad ignem ;* ei, qui premitur *siti*, invenire *aquæ fontem ;* ei, qui cruciatur *fame*, admitti ad mensam cibis onustam exquisitis. Sed ecce in oratione ignis accenditur, aperitur fons aquæ salientis in vitam æternam, manna præbetur absconditum et mentis cibus suavissimus.

6° Ostendit et alias jucunditates S. Bonaventura, dum dicit : « Sicut thus super carbones positum spirat suavem et redolentem odorem ; sic oratio incensa super carbone devotionis, multum fragrat in conspectu divinæ Majestatis. » (*Diæta*, titulo 2, c. 5). « Qui orat, debet clamare, sicut parvulus clamat ad ubera, sicut clamat catulus cum sentit verbera, et sicut clamat populus cum videt pericula. » (*Ibid.*) « Oratio est hostis flagellum, peccatoris subsidium, proximi solatium, Dei sacrificium. » (*Speculum disciplinæ ad Novitios*, P. I, c. XII.) Quanto frequentius quis orat, tanto fit ei oratio delectabilior ; et quanto rarius tanto insi-

pidior et tædiosior. » (*De prof. relig.*, c. 69.)

Et certe non est minima orationis jucunditas, quam indicat lectio Breviarii in festo sancti S. Raphaelis archangeli : « Oratio justi est clavis cœli : ascendit precatio et descendit Dei miseratio. »

II. — Orationis difficultates.

Multiplices quidem sunt ; satis sit indicasse : 1° corporis malam dispositionem ; 2° vexationem diabolicam ; 3° pigritiam mentis ; 4° probationem.

1° *Corporis dispositio.*

Quando dolet corpus, anima solet pigritare. Quam difficilis meditatio, quam difficilis quæcumque oratio, dum torquet nos vel dolor capitis, vel rabies dentium, vel stomachi gravitas, vel febrilis agitatio! Sed si hæc mala patienter sustineamus, si ea æquo animo toleremus, *ipsum pati* est orare, et est quidem optimum genus orationis. Si dico ex toto corde : « Ita, Pater, quia sic fuit placitum ante te, » *oro*, et mea hæc oratio *optima* est ; immo sæpe præstantior est et Deo acceptior quam oratio consolatione plena. Patientia igitur in dolore *eximia* est oratio.

2° *Vexatio diabolica.*

Singulariter perodit diabolus nostram orationem, et propterea omnem solet movere lapidem ut nos orantes vel *impediat*, vel *vexet*, vel cruciet. *a)* Modo injicit menti

inopportunam sollicitudinem de rebus agendis ; *b)* modo efficit ut sub vario prætextu orationem in aliud tempus differamus ; *c)* modo instigat nescio quam lassitudinem, ut ex lassitudine *sedentes* dormiamus ; *d)* modo impellit ad continuam mentis dissipationem, ita ut omnia *distracte* fiant ab initio orationis usque ad finem ; *e)* modo aggreditur orantem tamquam furibunda bestia. Sic aggrediebatur S. Antonium, virum admirabilis orationis, qui *contemptu* et *constantia* insidias inimici superabat.

3° *Pigritia.*

Unusquisque merito in mentem revocabit quæ dicta sunt de tristissima animarum lepra, tepiditate. Qui *fervens* est, dato signo orationis, gaudet, exsultat ; qui *tepidus* est, ingemit, et quasi vi trahitur, reptans ad id ad quod vocatur. Quam verum est quod dixit S. Augustinus : « Multi languescunt in orando ; et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea *languide*, postea *frigide*, postea *negligenter.* » (Super Ps. LXV.)

4° *Probatio.*

S. Ignatius in aureo suo tractatu de consolatione et desolatione spirituali docet tres esse causas desolationis, scilicet : 1° Quia sumus tepidi et negligentes in exercitiis nostris spiritualibus, atque ita *ob culpas nostras* elongatur spiritualis consolatio a nobis. 2° Quia vult Deus *probare* quantum

valeamus et quousque procedamus in ejus servitio et laude, absque tanto stipendio consolationum. 3° Quia intendit Deus nobis dare *veram notitiam* et *cognitionem*, qua *intime sentiamus* non esse ex nobis acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrymas, neque ullam aliam consolationem spiritualem; sed totum esse donum et gratiam Dei Domini nostri.

III. — Ratio difficultates superandi.

1° In *ordine* nostro *diurno primas* partes *æstimationis* et *diligentiæ* habeat oratio.

2° Oratio nostra *ordinata* sit quoad *locum*, quoad *tempus*, quoad *modum*.

3° Oratio nostra semper sit *Deo digna*. Fiat proinde *reverenter*, *attente*, *devote*. Ad quod mirifice juvat: *a)* Nos *colligere* aliquantulum ; *b) Deum præsentem* cogitare ; *c)* Nos signare signo crucis *lente* et cum quadam majestate ; *d)* Genuflectere *profunde; e)* Incipere recitare prima verba *attente ; f)* Non multum loqui. « Absit ab oratione *multa locutio*, sed non desit *multa precatio*, si fervens perseverat intentio. *Multum loqui*, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis; *multum* autem *precari*, est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare ; nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermo-

nibus agitur, plus *fletu* quam *affatu.* » (S. Aug. *Epist. ad Probam*, 130, c. 10.)

4° Frequens precatio quæ *jaculatoria* nuncupatur, miro modo nos adjuvat ad acquirendum *spiritum orationis.*

5° Assuescamus crebro Deum alloqui tamquam *amicum* semper et ubique nobis præsentem, qui amanter nos aspicit *laborantes*, nos audit *conversantes.* Incredibile est quot quantaque ex hoc divino commercio soleant nasci emolumenta.

6° Sæpe et ex toto corde dicamus JESU : « Domine, doce nos orare. »

EXAMEN.

Circa modum dignos faciendi pœnitentiæ fructus.

« *Pœnitentia* est voluntaria earum rerum omnium, quæ affligant, toleratio. » (S. Jo. Clim. gradu 5.)

« Tres sunt species pœnitentiæ : *simulatoria* et *infructuosa*, ut in Esaü et in Saül; *crudelis* et *desperata*, sicut in Cain et Juda ; *utilis* et *consummata*, sicut in Maria et Zachæo. Istius pœnitentiæ partes sunt quinque : contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute. » (S. Bonav. super Ps. LXXX.)

1° *Confessio in ore* est humiliter et sincere prælato suo et præsertim confessario

exponere *sua delicta*. — An non facilius errores meos et culpas superiori meo soleo *obtegere velare, minuere, excusare?*

2° *Contritio in corde*, est frequenter elicere actum pœnitudinis. — An vera est mea *contritio* dum recito *Confiteor?* in receptione sacramenti Pœnitentiæ? post commissum peccatum? Antequam in lecto obdormiscam?

3° *Maceratio in carne*, est corpus affligere intuitu peccatorum quæ commisimus, ut docet S. Th., parte 3, q. 85, a. 2. « Pœnitentia est quædam specialis virtus, qua homo operatur ad præteriti peccati destructionem et detestationem. » — An practice didici me mortificare sponte, sive in potu, sive in cibo, sive in decumbendi ratione? An mihi familiaria sunt pœnitentiæ instrumenta, ut sunt disciplina, cilicium, ferreæ catenæ et alia similia? An non mihi false persuasum habeo talia non nisi ad sanctos et in religione viventes pertinere?

4° *Correctio in opere*, est veros et solidos constantesque adhibere conatus ut *melius* in dies *orem*, melius *laborem*, melius mala *patiar*. Tales autem conatus censetur adhibere *a)* qui quotidie *serio* et *cum fructu* instituit *examen conscientiæ; b)* qui singulis hebdomadis in *confessione* sibi viriliter proponit vel unum peccatum usque ad proximam confessionem eliminare.—Quo studio,

quo vigore assuevi *peccata minuere* ope *examinis generalis*, et *defectus* ope *examinis particularis?* An ita instituo confessionem, ut in dies *melior* et *Deo jucundior* evadam?

5° *Perseverare in virtute*, est minime sinere superari nos tædio, fatigatione, aut qualicumque occurrenti difficultate. Est sane hujusmodi pœnitentia maximi meriti; supponit enim frequentissimam de semet-ipso relatam victoriam. — An talis fuit mea pœnitentia? An mihi constanter applicui aureum S. Francisci Salesii adagium: *Usque ad finem?* Nonne multoties ab exercitio virtutis destiti propter minimam difficultatem?

O mi JESU, qui innocentissimam carnem tuam flagellis, spinis, clavis, jejuniis aliisque asperitatibus divexari voluisti, concede mihi omnibusque sacerdotibus gratiam deinceps dignos faciendi pœnitentiæ fructus. Amen.

RECOLLECTIO XXIII.

CONTEMPLATIO.

De vita Jesu gloriosa.

1. Præl. Audiamus S. Paulum nobis dicentem : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » (Coloss., III, 1, 2.)

2. Præl. Petamus a Deo gratiam *vitam* amplectendi vere spiritualem.

Jesum contemplemur in ea vita quam duxit post suam resurrectionem usque ad ascensum in cœlum. In ista vero vita exhibuit nobis Jesus formam *vitæ* vere *spiritualis*, qualem decet esse vitam illorum sacerdotum, qui perfectionem et sanctitatem profitentur.

In admirabili vita, quam per quadraginta dies duxit Dominus, redivivus e sepulcro, propria veluti *lineamenta* deprehendimus quatuor, scilicet :

1° Summam pacem et animi lætitiam ;

2° Singularem erga peccatores misericordiam ;

3° Delicatissimam erga amicos suos beneficentiam ;

4° Ardentem pro sua Ecclesia zelum.

Hæc quatuor in sacerdote inveniri debent, si nomine *viri* vere *spiritualis* dignus esse velit.

Ium Punctum. — **Summa pax et animi lætitia.**

Propter duplicem causam *gaudebat* Jesus dum exsurgebat e sepulcro ; gaudebat propter *se;* gaudebat propter *suos amicos.*

1° *Gaudebat propter se.* Etenim, dum ducebat vitam nostram mortalem, miseriis, quibus nos obnoxii sumus, obnoxius erat et ipse. Fatigabatur, dolebat, tristabatur, tædium experiebatur et repugnantiam naturalem. Nonne dixerat discipulis suis : « Tristis est anima mea usque ad mortem ? » Nonne de ipso scripsit S. Matthæus : « Cœpit contristari et mœstus esse ? » (Matth., xxvi, 37.) Nonne de ipso scripsit S. Marcus: « Et cœpit pavere et tædere ?» (Marc., xiv. 33.) Et paulo antequam emisit spiritum, nonne dolens excla-

mavit: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (Matth., XXVII, 46.)

Sed nunc anima JESU *libera* est et *vehementer lætatur* quod hæc omnia tam fortiter, tam amanter sustinuerit pro gloria Patris et pro mundi salute. Quanta cum jucunditate nunc recordatur omnium suorum laborum, ærumnarum, privationum omnis generis, et dolorosissimæ suæ passionis. De eo scripserat Propheta: « Secundum multitudinem dolorum meorum... consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » (Ps., XCIII, 19.)

2° *Gaudebat propter amicos suos.* Viderat Matrem suam fortiter stantem juxta crucem suam ; viderat eam gladio doloris transfixam; viderat Joannem, viderat sanctas mulieres, viderat apostolos dolore et desolatione tabescentes. Jucundissimum igitur ipsi esse debebat hos omnes sua præsentia consolari, erigere, animare, plena donare lætitia.

Non igitur mirari debemus omnes apparitiones, quas in Evangelio legimus, spirare nescio quid suave, jucundum, plenum sancto gaudio.

Hoc primum lineamentum vitæ spiritualis deinceps in nobis appareat. *Gaudeamus* in primis propter ea quæ in vita nostra sacerdotali passi sumus pro gloria Dei et pro salute animarum. Cum jucunditate identidem in mentem revocemus labores nostros, ærumnas, adversitates, et sine dubio exclamabimus et nos cum veritate : « Secundum multitudinem dolorum meorum... consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Sine me, o Deus, nunc multum pati, ut postea multum possim gaudere. Valebit enim semper hæc lex: *Quantus dolor, tanta lætitia.*

Gaudeamus deinde propter alios. Nobis scilicet in deliciis sit posse mœstos consolari, afflictos erigere, pusillos roborare, miseris succurrere. Quapropter nullam transmittamus occasionem munere fungendi consolatoris.

II^um^ Punctum. — **Singularis erga peccatores misericordia.**

Quis nostrum non miratus est *ordinem* quo apparuit Jesus variis hominibus? Certe ante omnes alios merebatur

videre JESUM benedicta Mater, utpote carissima, dignissima et meritissima, et propterea dicit S. Ignatius dubium non esse quin primo apparuerit sanctissimæ suæ Matri. Sed post B. M. V. cui mortalium apparuit JESUS? Mariæ Magdalenæ, quæ *peccatrix* fuerat in civitate, ex qua septem dæmonia ejecerat JESUS. Quis peccator post hæc, etiam si omnium maximus fuisset peccator, non exsultabit spe et gaudio, videndo quam *cito*, quam plene obliviscatur Dominus peccata nostra?

Et ex apostolis quis potuit primus JESUM redivivum videre? Ipse Petrus, qui modo tam turpiter lapsus fuerat. O sacerdos, qui forsan abhinc paucis diebus, vehementer tentatus, Deum tuum offendisti: exsulta et tu; nam si, sicut Petrus, peccata tua defleveris, poteris et tu esse primus adhuc in corde JESU; poterit a te petere quod petivit a Petro: An tu me plus diligis his? Responde audacter. Tu scis, Domine, quia amo te.

Hoc secundum lineamentum vitæ spiritualis a nobis abesse non potest. Nullus sacerdos, si vere spiritualis

sit, erga peccatores *durum* se exhibebit. Immo omnes, et præsertim maximos, benigne tractemus, excipiamus, erigamus, præcipuo amore prosequamur. Videamus an tempore paschali non usi simus verbo acerbiore erga aliquos pœnitentes. Videamus an non erga nonnullos nos exhibuerimus *impatientiores*, *duriores*. Experientia constat sacerdotes, quo *sanctiores* fiebant, factos etiam fuisse *meliores*, *benigniores*, *majoris misericordiæ* erga miseros peccatores. Quam merito dixit S. Ambrosius *confessarios* esse *Christi amoris vicarios !*

III^um^ PUNCTUM. — **Delicatissima erga amicos beneficentia.**

Hæc beneficentia variis emicuit modis. *Beneficum* se probavit JESUS, *sponte* occurrendo amicorum suorum necessitatibus in quibus eos versari sciebat. Sic, cum non ignoraret Petrum valde anxium esse post tantam infidelitatem et ignaviam, voluit eum securum facere, per Angelos jubendo mulieribus ut apostolis et *Petro* JESU resurrectionem annuntiarent. — Sic discipulis

in castellum Emmaüs se recipientibus, cum eos videret tristes et animo dejectos, apparuit, eisque occasionem præbuit exercendi hospitalitatem, et in fractione panis mirifice eos consolatus in fide consolidavit. — Sic S. Thomæ, pertinaciter erranti, viam aperuit redeundi ad resipiscentiam, et medium suppeditavit facile et suave reparandi scandalum, quod sua incredulitate dederat fratribus suis. Quod præstitit, et modo quidem admirabili, S. Petro, eum coram discipulis de *præsenti amore* ter interrogando, ut, sicut dixit S. Augustinus, *trinæ negationi reddatur trina confessio, ne minus amori serviat lingua quam timori.* — Eadem benignissima intentione frequenter dignatus est prandio vel cœnæ discipulorum interesse, ut cum ipsis manducando et familiariter agendo, tutiores, lætiores, feliciores eos redderet. — Sed super omnia suavissimam ipsius beneficentiam probat id quod accurate narrat discipulus *quem diligebat Jesus*, in ultimo sui Evangelii capite. Bonus magister, compatiens septem discipulis qui per totam

noctem frustra sua retia jecerant, eos reficere et recreare voluit prandio, quod *sua gloriosa manu ipse* præparaverat. Quam suaviter ad hoc prandium eos invitavit! Quam suaviter ipse tum eis ministrare dignatus est cibum quem tam accurate præparaverat! O Domine Jesu, quam bonus tunc, quam amabilis mihi appares! O sane paradisus erat discipulis esse cum tali magistro, cum tali domino versari. « Dominus meus et Deus meus! »

Non possumus nos sacerdotes hoc tertium vitæ spiritualis lineamentum negligere. *Benignos* nos esse oportet et *beneficos* erga fratres nostros et amicos. Eorum necessitates cordi habeamus, eorum tristitiam consolemur, eorum miseriis occurramus. Efficiamus ut nostra præsentia recreet omnes, omnes lætificet quibus contingit nobiscum agere. Hospitalitatis legem religiose servemus. Qui fratrem ad suam mensam invitavit, *beneficum* erga eum se ostendat, non quidem *copia* ciborum aut *pretio* vinorum, sed caritatis sacerdotalis exhibitione. Est nimirum etiam

in paupertate quædam quasi prodiga liberalitas, non tam *rebus* quam *animo* metienda.

IV^um^ PUNCTUM.—**Ardens pro sua Ecclesia zelus.**

Quot res peregit Dominus spatio illo quadraginta dierum, quos post mortem inter mortales transegit! Instituit sacramenta, ordinavit Ecclesiam eamque legibus sanctissimis instruxit. Maximam vero adhibuit curam ut Apostoli penitius docerentur veritates quas prædicare debebant ; ut recte se disponerent ad accipienda dona Spiritus sancti ; ut se præpararent ad obeundam missionem quam maxime arduam, ad subeundum martyrium, ad profundendum sanguinem suum pro Deo et pro salute animarum. Non destitit a munere adimplendo *magistri* usque ad momentum, quo elevatus est in cœlum. Sacerdos vere spiritualis vir *otiosus* esse non potest. Quo spiritualior, eo ardentior in labore erit. Licet tempore exercitiorum spiritualium deliciis affluere soleat, et in solitudine suavissime

audiat vocem Domini, ad cor suum loquentis, Deum tamen pro Deo relinquere non dubitat, quotiescunque necessitas animarum vel necessitas Ecclesiæ id postulare videbitur. S. Franciscus Xaverius, S. Carolus Borromæus, S. Vincentius a Paulo, S. Franciscus Salesius non minus strenue laborabant in vinea Domini, quam multi alii sacerdotes ducentes vitam minus spiritualem. Quam merito dixit S. Paulus *pietatem ad omnia utilem* esse! Experientia docet sacerdotes pios et vitæ spirituali addictos, aptiores esse ad sacrum ministerium utiliter obeundum, quam alii qui forsan majore pollent ingenio, majore ornantur scientia, majore gaudent auctoritate, sed quorum vita *naturalis* est, *sensualis* et aliquo modo *terrestris* ac *mundana*.

Utinam omnibus ecclesiis, omnibus ecclesiasticis muneribus non nisi sacerdotes *vere spirituales* præficerentur! quam *accurate*, quam *ordinate*, quam *tempestive*, quam *pulchre*, quam *sancte*, quam *fructuose* celebrarentur solemnitates nostræ sanctæ Religionis, sa-

cramenta administrarentur et animæ omni modo adjuvarentur! O Domine, multos tales mitte operarios in messem tuam. Amen.

CONSIDERATIO.

De necessitate progrediendi in via Domini.

Sapienter agit sacerdos, qui tempore recollectionis menstruæ oculo mentis percurrit agrum suum spiritualem, ut videat qualem fecerit fructum. « Quam dura conditio est, ait sanctus Maximus Taurinensis (Sermo de sancto Cypriano), ut possessio quæ domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitatibus compunxerit!... Igitur videte, fratres, videte ne et vobis dicatur: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas. »

Ut se ad studium fructificandi stimulet sacerdos, merito perpendet quod legitur apud S. Lucam, XIII, 6. « Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?

« At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam et mittam stercora. Et siquidem

fecerit fructum ; sin autem, in futurum succides eam. »

Hic tria considerari possunt : *arboris sterilitas*, *excidium* ad quod damnatur, et *excidii dilatio*.

I. Consideremus *sterilitatem* arboris illius summopere mirandam. Siquidem plantata in medio vineæ... sepe circumdata... cœli pluviis irrigata...agricolæ sudoribus culta... in tot aliarum arborum consortio, non nisi *folia* progerminat ; idque non uno dumtaxat anno, sed pluribus. En imago tristissima nonnullorum sacerdotum. Ex apertis mundi campis, veluti arbores electæ, translati sunt in sancti sacerdotii vineam, i. e. in solum divino JESU CHRISTI sanguine copiosius irrigatum, frequentiori Sacramentorum usu fecundatum, jugiter gratiarum novarum rore cœlitus humectatum ; adlecti sunt in consortium tot aliarum arborum cœlestibus fructibus plenissimarum, tot, inquam, sanctorum hominum, qui per eamdem, immo minorem etiam culturam ad tantam virtutem excrevere.

Et tamen in solo tam fertili non aliud producunt nisi *folia* quæ appareant, vel, ad summum, florem aliquem boni propositi *absque* operis ipsius *fructu* gignunt. Ubi enim est tot orationum, tot confessionum, tot communionum, tot instructionum, tot recollectionum fructus ? Aliud non videtur quam

perpetua negligentia in agendo cum Deo, continuus sui ipsius amor, tum in procuranda apud alios sui existimatione, tum in defendendo suo honore, tum in inquirendis omni studio suis commoditatibus. Cuperent ut omnes alii suo deservirent genio, cum interea ipsi proximis suis et *corde* et *vultu* et *verbis* se duros exhibeant.

Hic fructus est quem reddunt illi Domino, qui continue tanta ipsis auxilia subministrat, ut operibus bonis pro acquirenda vita æterna exuberent. His Dei decretis se opponunt, non solum omittendo opera bona, sed mala insuper multa committendo; unde facile deprehendimus eos esse arbores, non modo *fructu vacuas*, sed *malas* et *noxias*, quia sese gloriæ Dei et aliorum bono per exemplum pravum opponunt. Unde redditi sunt prorsus indigni, qui stent in electa ista vinea, quia *in terra sanctorum* iniqua gesserunt. « In terra sanctorum, ait Isaias, XXVI, 10, iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.» — Quis sacerdos non libenter confitebitur se, saltem ex aliqua parte, adnumerandum esse inter illos, quorum ficulnea infructuosa imago est? Deum precemur ut terræ cordis nostri copiosam benedictionem impertiatur, cujus ope dignos pœnitentiæ fructus proferat.

II. Consideremus *excidium* ad quod hæc arbor infructuosa juste condemnatur.

Vineæ dominus, postquam tribus annis debitum fructum nequicquam exspectaverat, mandat agricolæ, ut arborem succidat, cum minime deceat ut terram hanc frustra diutius occupet. — Hæc est sententia quam sacerdotes tepidi merentur.

Potest autem per *hoc excidium pœna intelligi temporalis*, qua nobis Deus gravem aliquam adversitatem, aut gravem aliquem morbum, vel ipsammet etiam mortem immittit, ut aliis locum faciat, melius divinæ Bonitati responsuris. Fieri quoque potest ut hoc excidium consistat in extimescenda quadam *spirituali pœna*, qua nos videlicet Deus aspicere incipiat oculis non adeo faventibus, ut antehac ; qua nobis neget auxilia quædam magis singularia ; qua nobis subtrahat media quædam magis efficacia : qua fortiores inspirationes nobis non amplius immittat. Fieri potest tandem ut excidium istud consistat in *ruina spirituali* tanta, ut amittatur ipsa salus æterna. Ad hæc quis non trepidabit ? Quis non sincere incipiet abhorrere ab omni tepiditate atque ab ea in æternum cavere ?

III. Consideremus istius *excidii dilationem*.

Interponit se agricola seque offert ad novam et magis accuratam diligentiam, arbori huic infructuosæ impendendam ; consentit tamen ut, si post novam hujus-

modi culturam, fructibus carere perrexerit, tum demum absque ullo remedio succidatur.

Nos quoque invenimus non neminem qui hanc exerceret pietatem in animam nostram.

Tutelaris noster *Angelus*, sancti *Patroni* nostri, *Beatissima Dei Mater*, suas preces interposuere, et novam hanc culturam menstruæ recollectionis nobis impetrarunt. Væ nobis, si post exhibitam nobis tantam misericordiam, passionibus nostris etiam obsecundare voluerimus, cum potius nos totos Deo permittere deberemus! Nam major ista divinorum favorum copia tanto certius appropinquantis pœnæ indicium erit.

« Domine JESU CHRISTE, da mihi fructum bonorum operum ferventer facere, et in eis jugiter perseverare, ne sine fructu inventus, merear succidi et in ignem mitti æternum. » (Ludolphus de Sax.)

EXAMEN.

Circa colloquia sacerdotum inter se.

« Conversatio sanctorum tanto validius terrena despicit, quanto purius in amorem cœlestium surgit. » (S. Greg. M Lib. IV in librum I Reg., n. 6.)

Convenit ut sacerdotum inter se colloquia sint *pia... honesta... prudentia... utilia... jucunda.*

1° *Pia.*

An non frequens meus sermo de rebus *terrenis*, *mundanis*, *vanis?* An non erubesco sermonem instituere de rebus *ad vitam spiritualem* pertinentibus? An non videor a colloquio spirituali abhorrere? Et si tale colloquium ab alio instituatur, an non statim illud amoveo vel jocando impugno?

2° *Prudentia.*

An non forte quædam leviter effutio quæ, saltem indirecte, referuntur ad audita in confessione, vel quæ mihi commissa sunt tacenda? An non liberius ago de miseriis meæ parœciæ, vel de personis mihi non gratis, vel quæ me in aliqua re offenderunt?

3° *Honesta.*

An non libenter confabulationem habeo de vino, de cibo, de lusu, de rumoribus qui sparguntur inter mundanos, etiam de rebus scurrilibus et quæ minime sacerdotem decent?

4° *Utilia.*

An ita soleo conversari inter fratres, ut ex mea conversatione *aliquid* percipere valeant *utilitatis?* An mea conversatio, ut erat conversatio Sanctorum, est audientibus fons *luminis*, *roboris*, *solaminis?*

5° *Jucunda.*

An mea conversatio tædium non parit fratribus meis?

a) Quia nimis meus est sermo;

b) Quia vix aliis do locum loquendi ;

c) Quia aliorum loquentium interrumpo frequenter sermonem, ad negandum aut ad corrigendum quod dicunt ;

d) Quia videor laborare spiritu contradictionis ;

e) Quia tam *negligenter loquor*, ut locutio mea sit vitiosa, incorrecta, obscura, vulgaris et audientibus ingrata ;

f) Quia sermocinatio mea levior est et sacerdote parum digna ?

O mi JESU, fac, quæso, ut dilecti tui sacerdotes ita assuescant inter se conversari, ut eorum sermocinatio sit, sicut tua, quies a laboribus, animi cibus, et vinculum amoris. Amen.

RECOLLECTIO XXIV.

CONTEMPLATIO.

De adventu Spiritus sancti.

1. Præl. Conspiciamus discipulos in cœnaculo cum Maria, Matre Jesu, orantes et sub forma linguarum ignearum Spiritum sanctum recipientes.

2. Præl. Petamus humiliter a Spiritu sancto per Mariam, ut nos cœlestis doni faciat esse participes.

Non sine fructu considerabit pius sacerdos *quomodo* se gerere debeat ut copiam donorum Spiritus sancti certius accipiat. Id vero non potest melius cognoscere quam si intellexerit *qualiter* Spiritus sanctus *apparuerit* in terris et homines sua gratia repleverit.

Tres autem *apparendi* modos reperire est in sacris litteris.

I. *Primus modus* indicatur apud Matth., III, 16, quando Christus in Jordane baptizatus, apertis cœlis, vidit Spiritum Dei descendentem sicut *columbam* et venientem super se. Vox autem Patris audita est : « Hic est

Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. »

Ex quo modo apparendi facile colligere possumus quid facere nos oporteat ad recipiendam gratiam Spiritus sancti. Videlicet virtutes et proprietates *columbæ* æmulari debemus.

1° Solet columba habitare in *loco mundo* et vesci cibis *mundis;* fugit quidquid sordidum est. Et re quidem vera legimus in Gen., VIII, 6, de Noe in arca concluso, quomodo emiserit *corvum*, ut experiretur an aqua decrevisset super terram, corvus autem remanserit, nec ulterius ad arcam sit reversus. Post hæc iterum emisit *columbam*, quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam. Jam vero quare, quæso, corvus invenit ubi quiesceret, columba autem non invenit? Interpretes hanc causam assignant, quod *corvus* est animal *immundum*, vescens cadaveribus, illisque insidens; cum autem plura ejusmodi cadavera, equorum, boum, ovium in aquis natarent, in illis se detinuit. Quia vero *columba* est animal *mundum*, noluit in

ejusmodi sordibus quiescere et commorari ; propterea non invenit pes ejus ubi requiesceret.

Per *corvum* significatur *diabolus*, qui est spiritus *immundus*, et delectatur *sordibus peccatorum*, sicut a Christo vocatur (Matth., XII, 43) : « Cum autem immundus spiritus exierit ab homine. »

Per *columbam* vero denotatur *Spiritus sanctus*, qui quærit habitaculum mundum et purgatum a peccatis, in quo requiescat, sicut dicitur (Sap., I, 4) : « In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Propter quod David orat (Ps., L, 12) : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Prius dicit *cor mundum*, postea petit *Spiritum sanctum*, insinuans quod Spiritus sanctus præsupponat cor mundum in quo resideat.

Ergo præparabimus nos ad recipiendum Spiritum sanctum *mundando conscientiam* nostram, *abjiciendo* ab anima nostra *omnem impuritatem*, omnem *peccati* maculam. Fugiamus igitur quid-

quid pulchritudinem cordis nostri posset obnubilare, maculare.

2° Secunda proprietas columbæ est hæc: non est *dolosa* aut *fallax*, sed *simplex*. Unde Christus dicit: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » (Matth., x, 16.)

Quam qualitatem etiam debent habere qui volunt Spiritu sancto repleri. Nam, ut dicit Scriptura (Sap., I, 5): « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. » Et (Prov., III, 32): « Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. » Item (Prov., XI, 20): « Abominabile Domino cor pravum, et voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. » Causa est quia Spiritus sanctus dicitur Spiritus *veritatis* (Joan., XIV, 17), qui nihil potest fingere, nec decipere, fallere aut mentiri; atque in hoc vel maxime distinguitur a spiritu malo, cui proprium est mentiri et fallere, sicut dicit Christus (Joan., VIII, 44): « In veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est. »

Præparabimus ergo cor nostrum ad recipiendum spiritum veritatis, *recte, sincere, cordate, simpliciter* agendo erga omnes, nullum *decipiendo*, nulla utendo *fictione* aut *mendacio*, procedendo per omnia in *spiritu fidei*, omnia oculo fidei conspiciendo.

3° Tertia est proprietas columbæ ut sit *pacifica*, et, ut aliqui volunt, etiam sine felle.

Habet et hanc qualitatem Spiritus sanctus ut sit *pacificus*, amans pacem et caritatem. Est siquidem Spiritus sanctus *amor inter Patrem et Filium*, et omnia opera caritatis ipsi appropriantur, veluti opus Incarnationis. Unde requirit *habitationem pacificam*. Ideo tam vehementer nos exhortatur sanctus Paulus (II Cor., XIII, 11) ad pacem : « Idem sapite, inquit, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. » Et Ephes., IV, 3 et 4 : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus. » Quasi dicat : Sicut membra divisa a corpore non possunt vivificari ab eadem anima ; ita animi a se per dis-

sensionem separati ac discordes non possunt vivificari et repleri a Spiritu sancto.

Quod etiam indicatur Ezech., XXXVII. Cum enim ostenderentur prophetæ multa ossa arida et dispersa in campo, et juberetur per suam prophetiam illa ossa mortua revocare ad vitam, prius debebant *ossa accedere ad ossa, inter se conjungi, una carne et cute uniri, postea* supervenire illis spiritus vitæ.

Propterea legimus de primis Christianis, qui Spiritum sanctum acceperant : « Multitudinis autem credentium erat *cor unum et anima una.* » (Act., IV, 32.)

Unusquisque nostrum videat an in corde suo habeat Spiritus sancti *habitationem pacificam.* Quod si in corde nostro esset aliqua *dissensio,* aliqua *divisio,* aliquis *rancor,* aliquod *vindictæ desiderium,* omni conatu deberemus hoc Spiritus sancti *impedimentum* abjicere, *condonando injuriam, redeundo in gratiam cum fratre, cum fratre nos reconciliando* quam primum.

II. *Secundus modus,* quo apparuit

Spiritus sanctus, fuit sub *halitus* specie, quando Christus insufflavit in discipulos, dicens : « Accipite Spiritum sanctum. » (Joan., XX, 22.) Quem modum etiam Ecclesia vult indicare, quando in consecratione fontis baptismalis insufflat in aquam, dicens : « Cujus Spiritus super aquas ferebatur. »

Ex quo iterum colligitur *quomodo* Spiritum sanctum accipere possimus, scilicet, aperientes os nostrum ad orationem *attrahimus halitum* seu Spiritum Christi. Hoc nempe volo dicere : *invocate* Spiritum et *orate* ut vos repleat; nam « dabit Deus spiritum bonum petentibus se. » (Luc., XI, 13.) Sic fatetur de se David (Ps. CXVIII, 131) : « Os meum aperui et attraxi Spiritum. » Et auctor libri Sapientiæ (Sap., VII, 7) : « Invocavi, et venit in me Spiritus sapientiæ. » Item de apostolis dicitur (Act., I, 14) : « Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. »

Oremus ergo et nos *cum sancta Ecclesia*, frequenter dicendo ex toto corde : « Veni, sancte Spiritus ! Reple tuorum corda fidelium. »

Oremus cum Davide, Ps. L, 12: «Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Et certe miserrimi sunt qui Spiritum sanctum amiserunt. Ecce de salute Saülis vix non desperatur; de salute Salomonis dubitatur; habemus proinde, quotquot sumus, causam clamandi identidem: « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. »

III. *Tertius modus*, quo apparuit Spiritus sanctus, locum habuit hac die Pentecostes, in figura et specie *ignis*, seu *ignitarum linguarum*. « Et apparuerunt illis *dispertitæ linguæ* tamquam *ignis*, seditque supra singulos eorum. » (Act., II, 3.)

Fuit hic modus apparendi præsignificatus in Veteri Testamento tribus præcipue figuris.

1° Prima figura legitur Exodi c. XIII, ubi dicitur quod filii Israel in deserto directi fuerunt per columnam *ignis* de

nocte, et per columnam nubis de die.

2° Altera figura legitur Exodi, XIX, 18, ubi Deus in monte Sinaï, volens tradere legem Moysi et populo, descendit ad Moysen *in igne*. « Totus autem mons Sinaï fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. »

3° Tertia figura legitur Isaiæ c. VI, 5, ubi Propheta refert quomodo videns Majestatem Dei sedentis super solium excelsum cum seraphim laudantibus Deum, exclamaverit : « Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum ; » et quod unus de seraphim tulerit *carbonem ignitum* de altari, tetigeritque labia Isaiæ, atque per hoc illa mundaverit, feceritque apta ad prædicandum.

Apostolos habuisse antecedenter labia polluta, seu *inepta* ad prædicandum et erudiendum universum mundum, satis patet in Evangelio ex imperitis eorum quæstionibus et indoctis disputationibus.

Quare igitur voluit Spiritus sanctus apparere in igne ?

Ut indicaret, sicut ignis omnia immutat et in se convertit, ita Apostolos per

suam gratiam *fore mutandos* in alios plane homines, sicut effectus docuit; nam illi qui antehac Christum negabant et fugiebant, Eum post acceptum Spiritum sanctum publice et coram magistratibus confessi sunt. Et qui ostia claudebant, præ timore Judæorum, libere prodibant ad concionandum, et ibant *gaudentes* a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Libenter igitur Spiritus sanctus habitat in iis qui, opitulante gratia, *vere conversi* inveniuntur. Sincere et viriliter nos convertamus; omnes enim, etiam nos sacerdotes, conversione aliqua indigemus. Qui *impatiens* hucusque fuerit, patientiæ studeat acquirendæ. Qui *tepidus* et *languens* hucusque fuerit, studeat fervori excitando. Qui *defuerit* hucusque *caritati*, studeat caritati fovendæ. Qui *negligens* hucusque fuerit *rerum suarum spiritualium*, studeat alios deinceps fidelitate superare. Utinam omnes qui forsan, propter miserias nostras et innumeras imperfectiones, aliquantulum scandalizati fuerunt, nos

videant prorsus immutatos et fructum a nobis percipiant ædificationis !

CONSIDERATIO.

De præparatione ad percipienda dona Spiritus sancti.

Ex omnibus, quæ modo juxta doctrinam probatissimorum interpretum, consideravimus, facile deducere possumus *quænam* sit *optima ratio nos præparandi* ad percipienda affatim dona divini consolatoris.

1° Fundamentalis præparatio est, animam nostram purgare a sordibus suis ope *ferventis confessionis*, si eis notabiliter coinquinata esse cognoscitur, vel, si non est eis coinquinata, puram *diligentius* quam antea conservare. Quo *purior* fuerit nostra conscientia, eo libentius apud nos manebit Spiritus sanctus.

2° Optima præparatio est, solito *attentius* et *diutius* meditationi rerum divinarum vacare. Nonne dixit Psalmista : « In meditatione mea exardescet ignis? » (Ps. XXXVIII, 4.)

3° Non minus apta est præparatio, *magis* et *frequentius* exercere virtutes quibus intelligitur Spiritus sanctus oblectari. Hoc ipsum inter orandum cognovit sancta Gertrudes, scilicet, ad susceptionem Spiritus sancti quatuor præsertim virtutibus quam proxime nos præparari : *puritate... humi-*

litate... tranquillitate, i. e. *pacifica conversatione... concordia.*

4° Præparatio egregia est, majorem in dies adhibere conatum ad perfectionem sui status obtinendam, ut aliquando B. V. M. significavit sanctæ Birgittæ, dicens: « Deus omnes sua gratia visitat ; eos vero qui conantur pervenire ad perfectionem, Spiritus sanctus visitat *frequentius.* »

5° Immediata et valde proficua est præparatio, *ardenter* et *frequenter* in die *desiderare multa* et *magna dona* sancti Spiritus. Ad quæ quidem obtinenda erigenda est spes nostra Christi verbis : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. » (Matth., v, 6.)

Merito igitur sanctus Bernardus excitat nos, dicendo :

« Qui desiderat, ardentius desideret, quoniam *quantumcumque* desiderare poterit, *tantum* est accepturus. »

Accedat frequens et ardens oratio ex sanctis desideriis orta, petens a Spiritu sancto, in nos venturo, dona ejus quam plurima et maxima. Etenim, ait sanctus Laurentius Justinianus, delectatur Dominus orationibus supplicantium, ut eorum votis annuat, si tamen *corde simplici* fundantur, *humilique mente* ac *devotione fideli.* Nempe, si tria hæc conveniant in orante, de omni re, quamcumque petierit secundum Deum, fiet

illi a Patre luminum, ejusque Filio Domino nostro JESU CHRISTO.

EXAMEN.

Circa fortitudinem sacerdotalem.

« Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis; quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras; quæ pecuniam negligat, avaritiam fugiat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effeminet. » (S. Ambr. Lib. I de Officiis, 36 et 39.) Ex his pulcherrime dictis concludit auctor libri *De ordine vitæ* in appendice operum S. Bernardi, eam solam *fortitudinem* vocari posse « quæ nullis illecebris edomatur, malis et adversis non frangitur, non elevatur secundis, invicta ad labores, fortis ad pericula. »

An talis est mea fortitudo?

1° An *nullis illecebris edomatur?*

An non sæpe officiis mei muneris defui et temporis jacturam feci, vel propter *dulcedinem somni*, plus æquo protracti, vel propter *jucunditatem ludi*, extra horas recreationi destinatas instituti?

2° An *non malis et adversis frangitur?*

Nonne frequenter propter mala et adversa

ita animo dejicior, ut vix vacare possim orationi vel labori? An non saltem propter adversa *remissior* fio ad omnia?

3° An *non elevatur secundis?*

Nonne in re prospera oculis aliorum videor superbe intumescere, *memetipsum* et *mea* opera jactando, *meæ* industriæ et ingenio tribuendo successum, *mihi* inaniter complacendo, variis actibus modisque de prospere factis laudem aliorum venando?

4° An *invicta ad labores?*

Nonne conspicior facilius deficere sub onere? Non sæpius audior conquerens vel de *gravitate*, vel de *difficultate*, vel de *multiplicitate* laborum? Nonne aliquoties munus mihi oblatum detrectavi ex timore fatigationis? Nonne horrore laboris negavi excipere confessionem, aut dare communionem, aut ægrotum adire, aut invisere scholas? An vel semel licet fatigatus, *operarius strenuus*, ad novum laborem me accinxi, dicens: « Amplius, Domine, amplius? »

5° An *fortis ad pericula?*

An in implendo officium pastoris paratum me experior ad pericula mortis et ipsam mortem intrepide sustinendam, dum ex officio teneor casas pauperum subire, haurire naribus morborum fœtores, contagionum pericula contemnere, et, pugnando contra abusus, multorum iras excitare, ferre odia, injurias devorare?

«Deus, refugium meum et virtus, ita pectus meum robora ac confirma, ut quidquid terroris habet mundus, contemnam ; quidquid delectabile habet, rideam ; divitias non cupiam ; paupertatem non horream, et mortem ipsam non pertimescam. » (S. Jo. Chrysost.)

RECOLLECTIO XXV.

CONSIDERATIO.

De vita B. M. V. post Ascensionem Jesu.

1. Præl. Videamus Mariam post ascensionem Filii sui commorantem inter apostolos et primos fideles, omnia omnibus factam.

2. Præl. Gratiam petamus instanter Mariam in hoc mysterio perfectissime imitandi.

Hæc tria cum utilitate perpendet pius sacerdos :

1° Post ascensionem Jesu Maria *cœlo vivebat ;*

2° Post ascensionem Jesu Maria *cœlo sese præparabat ;*

3° Post ascensionem Jesu Maria interea tædium sui exsilii *prudenter* et *sancte leniebat.*

Ita et nos sacerdotes vivamus oportet.

I^um^ Punctum. — **Maria cœlo vivebat.**

Nihil præter cœlum *desiderabat.* In cœlo erat ejus thesaurus; et ubi thesaurus noster est, dixit Jesus, ibi est et cor nostrum. Aspernabatur ista vana,

caduca, infima, quibus solent tot homines misere inhærere. Maria non nisi *æterna*, non nisi *cœlestia* sapiebat.

Et quia cœlum unice desiderabat, continue de cœlo *cogitabat*. Omnia quæ videbat, quæ audiebat, ei cœlum in mentem vocabant. Non poterat videre pulchritudinem camporum, splendorem stellarum, non poterat audire concentum avium vel musicorum, quin statim corde in cœlum raperetur.

Hinc factum est ut *frequenter loqueretur* de rebus cœlestibus, et sane non frigide, sed cum ardore, sed cum divina eloquentia. « Ex abundantia enim cordis os loquitur. » (Matth., XII, 34.) Erat in cœlis et votis, et affectu, et cogitatione, et conversatione.

O sacerdos, qui vere hoc nomine dignus esse velis, imitare Reginam tuam. Noli magni facere, diligere, appetere aut quærere nugas hujus mundi, quæ vocantur *divitiæ*, *dignitates*, *gaudia*. Hæc enim, dicit Scriptura, transeunt tamquam *umbra*;... tamquam *nuntius percurrens;* et tamquam *navis* quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus, cum

præterierit,non est vestigium invenire ; aut tamquam *avis* quæ transvolat in aere;... aut tamquam *sagitta* emissa in locum destinatum.

Utinam frequentius de cœlo *cogitaremus !* Utilius et jucundius uteremur rebus creatis ; totus mundus nobis esset, sicut Mariæ, liber apertus, in quo legeremus mirabilia de pulchritudine, de sapientia, de bonitate Patris nostri *qui in cœlis est*, ut frequenter dicebat Jesus. Et re quidem vera, quare Dominus Jesus, cum nos docuit orare, et quando ei contingebat nominare Patrem, addere voluit hæc verba : *Qui es in cœlis*, nisi ut nobis frequens esset cogitatio de cœlo et de rebus ad cœlum pertinentibus ?

Et si frequens esset de cœlo cogitatio, nonne et de cœlo frequens esset sermocinatio ? Utinam nos sacerdotes, alios qui sacerdotes non sunt, verbis nostris impelleremus ad cogitanda, ad desideranda quæ sola digna sunt hominis christiani cogitatione et affectu ! « Sursum corda ! » Non tantum tempore missæ audiatur hæc exhortatio

sacerdotalis, sed quotiescumque est occasio animas ad cœlestia impellendi. Cum veritate dicere valeamus : « Nostra autem conversatio in cœlis est. » (Phil., III, 20.)

II^um^ PUNCTUM. — **Maria se cœlo præparabat.**

Se præparabat cœlo, bonum operando erga omnes, præsertim erga domesticos. Non sane ignorabat quæ postea S. Paulus in suis epistolis scripturus erat, « omnem qui *parce* seminat, parce messurum esse, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et messurum. » (II Cor., IX, 6.) Volebat prudentissima Virgo sibi præparare messem splendidissimam pro æternitate. Propterea *omnia se omnibus* fecerat, et omnes *juvabat*. Juvabat omnes *consilio*, *exemplo*, *auxilio*.

1° *Juvabat omnes consilio*. Jam tunc erat *sedes sapientiæ*. Quis dubitat quin apostoli frequenter interrogaverint Mariam de JESU, de Spiritu ejus, de mysteriis ejus vitæ, et semper eis responderit cum amore et summa sapientia.

Quam benigne omnes, qui consilium petendi causa ad eam veniebant, quacumque hora excipiebat !

Cum patientia et ipsi excipiamus quoscumque ad nos consilii causa venientes. Magna virtus est *nulli* occludere aditum ad nos, aliqua *impatientiæ* aut *tædii* significatione; et ingentem sibi comparat segetem meritorum, qui ex caritate omnes semper fronte serena, vultu benigno, amica voce excipit.

2° *Juvabat omnes exemplo.* Jam tunc erat *speculum justitiæ.* Omnes in Maria mirabantur invictam patientiam, firmissimam fidem atque fiduciam, ardentissimam caritatem, splendidissimam castitatem. Affirmant SS. Patres Mariam tantæ fuisse virtutis, ut nullus eam aspicere potuerit quin experiretur se ad virtutem stimulari.

Omnes et nos tali juvemus exemplo. *Vocatione* et *officio* tenemur non solum *veritatem* subditos nostros *docere*, sed eos etiam *ad omnem virtutem formare. Parum* proderunt ad virtutem docendam *præcepta, multum exempla.* Satagamus igitur subditis exemplo præire

patientia, caritate, prudentia, humilitate. Unusquisque nostrum, ut Maria, studeat esse *speculum justitiæ*.

3° Juvabat omnes *auxilio*. Jam tunc erat *refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, salus infirmorum, auxilium christianorum*. — Quanta bonitate *omnes miseros* excipiebat, fovebat, consolabatur!

Simus et nos *refugium* peccatorum; simus et nos *consolatio* afflictorum; simus aliquo modo *salus* infirmorum nostra caritate, nostra benignitate, nostro zelo; tantam vero exhibeamus amœnitatem, ut *omnes* ad nos audeant confugere cum maxima fiducia in omni sua tristitia, pressura, difficultate.

III^um^ PUNCTUM. — **Maria prudenter tædium exsilii leniebat.**

Nulli mortalium gravius esse potuit exsilium quam Mariæ, quia nullus ardentius unquam desideravit patriam quam Maria. Melius quam alii, intellexeratterramesse*vallemlacrymarum, locum luctus* et miseriæ. Sed prudenter et sancte conabatur tædia exsilii superare.

1° In primis exsilium sublevabat *orando*. Viderat Filium suum frequenter confugisse ad orationem et eum audiverat suos discipulos admonentem de necessitate orandi. Intellexerat ad fugandam tristitiam nihil efficacius esse oratione, et propterea orabat *frequenter*, orabat *ardenter*, et per orationem omnem animæ mœrorem vitabat et summa pace fruebatur.

Experimur nos etiam tædia exsilii. Quot miseriæ, quot tristitiæ, quot res ingratæ nobis obvenerunt a quo cœpimus versari inter mortales! Forsan et nos non semel ingeminavimus illud psalmistæ : « Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. » (Ps. CXIX, 5.) An memores fuimus orationis? An conati sumus oratione exsilium nostrum temperare? O si melius faceremus quotidianam meditationem, si frequentius visitaremus Sanctissimum, si familiarius adiremus amicum Tabernaculi ejusque benignissimam Matrem majore cum simplicitate invocaremus, levius esset tædium nostrum, facilior vita et tolerabilior.

2° Tædium exsilii temperabat *laborando*. Viderat Filium suum laborantem; cum Filio suo laboraverat sine intermissione. Non ignorabat inter laborandum tempus transire jucundius. Laborabat *ordinate*; laborabat *sancte*.

Utinam omnes sacerdotes intelligerent quanta sit jucunditas in labore! Sed proh dolor! Sunt qui quærunt lenire tædia exsilii, non labore, sed prolixiore recreatione, prolixiore confabulatione, frequentiore excursione et inutili laicorum visitatione; et in his tædii lenimen non inveniunt, sed potius tædii augmentum atque animi gravamen. Ut nam inter ista non sæpe detrimentum pateretur ipsa caritas!

3° Tædium exsilii temperabat intima cum JESU unione. Sine temeritate asserere possumus Mariam suam quæsivisse consolationem *in frequenti communione*. Et quando de manu apostolorum corpus JESU acceperat, quam suaviter tunc Filio suo præsenti fruebatur! Qua fide, quo amore JESUM, *suas delicias*, complectebatur! — Felices nos nimium quibus contingat quotidie accipere

communionem! Hoc solum sufficeret ad convertendam hanc terram in paradisum, si JESUM quotidie susciperemus in hospitem *ardentius, familiarius, cum majore fiducia*. Sed eheu! Quam *frigide*, quam *leviter* divinum Hospitem nostrum tractamus!

CONSIDERATIO.

De statu nostræ negotiationis spiritualis.

Cum præsens recollectio veluti in limine *novi anni* instituatur, utile nobis erit aliquantulum oculos conjicere in annum qui mox præterlapsus erit.

Agendo de timore Domini, quo sacerdotes Dominum timent quatenus *Dei famuli* sunt, jamdiu perpendimus pulcherrimam comparationem, qua JESUS nos dixit esse similes *homini negotiatori*. Porro, qualis fuit hoc anno nostra negotiatio? An fuit negotiatio *boni* negotiatoris, an *mali?* Ut huic quæstioni rite respondere valeat sacerdos, necesse est ut inquirat non jam in abstracto qualis sit negotiator spiritualis, sed 1° utrum de facto exhibuerit in decursu anni *boni* negotiatoris *qualitates;* 2° an non forsan imitatus sit *malum* negotiatorem.

I. An exhibui boni negotiatoris qualitates?

1° *Bonus negotiator totus est in sua*

negotiatione et multum ad eam afficitur. Talisne fuit mea animi dispositio? Fortassis tepide, molliter, perfunctorie, sine corde, laboravi ad promovendam meam negotiationem: quæ tamen summi est momenti; agitur enim de comparando *regno æterno!*

2° *Bonus negotiator nihil ex eis quæ ad negotiationem pertinent, parvi facit aut negligit. Æstimat nullum esse lucrum parvum, nullum damnum parvum.* An ego curavi *res minimas* quæ ad meam salutem et sanctificationem aliquo modo referri possunt? An sedulo vito vel *levissima peccata?* An mihi procuro vel *minima merita?*

3° *Bonus negotiator avide arripit omnem occasionem promovendi extraordinarie suam negotiationem.* An hac in re non passus sum me a laicis superari? Ecce eximia lucrandi multum occasio est quævis humiliatio, quævis tribulatio, quævis contrarietas; et tamen data hac humiliatione, tribulatione, contrarietate, non lætatus sum, non reddidi Deo gratias, sed murmuravi, et animi dejectioni me tradidi! Stulte egi, o mi Deus!

4° *Bonus negotiator seligit, si possit, clientes magnæ probitatis et non nisi tales ad suam officinam admittit.* An in mea negotiatione sategi unicum habere clientem, *Deum* scilicet, ei quotidie cum purissima intentione omnia quæ dico, omnia quæ facio, omnia quæ patior, offerendo?

5° *Bonus negotiator ita cordi habet munditiem, ut in sua officina omnia splendeant nitore.* An ego puritate cordis, mentis et corporis allicere soleo Illum qui dicitur in Scripturis *pasci inter lilia?*

6° *Bonus negotiator ita omnia ordinate disponit ut ipse ne unum quidem momentum deperdat, neque clientibus ullum procreet temporis damnum.* Nonne defectu ordinis frequenter jacturam facio multarum horarum, quas utiliter impendere potuissem ad glorificandum Deum et ad animas salvandas?

7° *Bonus negotiator sua urbanitate emptorum animos ita sibi vindicare conatur ut libenter ipsius frequentent officinam.* Et ego, negotiator regni cœlestis, forsan multum negotiationi meæ nocui, facilius negligendo leges christianæ urbanitatis; immo animos subditorum a me alienavi, durius agendo et cum impatientia.

8° *Bonus negotiator sedulo inscribit in libris suis accepta et expensa, lucra æque et damna.* An ego spiritualis meæ negotiationis libros non neglexi? An feci *quotidie* examen conscientiæ *accurate?* An cum omni diligentia singulis hebdomadis institui confessionem? An non frequenter sine causa omisi recollectionem menstruam? An singulis annis tempore sacri secessus *attente exigo a me* rationem lucrorum et damnorum?

Nullus non videt quantam utilitatem sacerdos sit ex hujusmodi examinatione percepturus, si instituatur cum firma voluntate suam negotiationem ad felicem exitum deducendi.

II. An non imitatus sum malum negotiatorem ?

1° *Malus negotiator* dicitur *qui, dum laborandum est, turpi se tradit otio.* An hoc anno mea ratio vivendi non infecta fuit tristi tepiditatis lepra ? An non nugis trivi pretiosum tempus, mihi a divina Providentia concessum ad magna peragenda pro æternitate ?

2° *Malus negotiator* dicitur *qui, bibendo et lautius vivendo, amittit fructus laboris et tandem dilabitur ad turpissimam egestatem.* An ego non maxima mihi intuli damna, mea sensualitate et nimia commodorum exquisitione ?

3° *Malus negotiator* dicitur *qui, in vendendis mercibus, utitur fraude.* An ego clientes meos nulla re fraudavi ? An non fraudavi *Deum*, meam gloriam quærendo, neglecta gloria Dei ? An *Deum* non fraudavi, omittendo opera pietatis vel pigritanter præstando quæ ad divinum cultum a bono sacerdote præstari solent? An non fraudavi *B. M. V.*, decurtando vel etiam sub minimo prætextu negligendo piam Rosarii recitationem? An non fraudavi *angelum custodem*,

vix de ipsius præsentia cogitando et fere nunquam ad ipsius auxilium recurrendo? An non fraudavi *superiores*, flocci faciendo eorum ordinationes, vel eorum acta in crisim vocando? An non fraudavi *confratres*, eorum auctoritatem verbis minuendo, vel eis debita caritatis officia negando? An non fraudavi *subditos*, eis convenientem cibum spiritualem non præbendo? An non fraudavi *pauperes* eleemosyna? *Infirmos* misericordia et paterna visitatione? *Parvulos* congrua instructione?

4° *Malus negotiator* dicitur *qui maximis exponit periculis suam suorumque fortunam, imprudenter speculando.* Nonne forsan, sepositis fidei principiis, nixus sum plerumque principiis humanis? Nonne amisi quod æternum erat, ut momentanea sectarer? Nonne imprudenter officia optavi quæ mihi a superioribus non fuerant demandata, gloriamque divinam meo munere procurare neglexi?

O mi JESU, cum gratia tua, volo incipere novum annum tanto cum ardore, tanta cum diligentia, tanta cum fidelitate, ut quam maxime promovere valeam negotiationem quam mihi dignatus es committere, cum dixisti : « Negotiamini donec venio. » Forsan venies brevi ; o utinam tunc tantam tibi offerre valeam pecuniam, ut cum ea mihi possis commutare regnum cœlorum! Amen

EXAMEN.

Circa cognitionem practicam Jesu.

I. Qualis sum ego erga *personam Jesu ?*

1° Qualis *mente ?* An præcipuum studium mihi est eorum quibus magis in dies *cognoscere* possim quæcumque pertinent ad personam JESU ?

An sæpe instituo *meditationem* circa *mysteria vitæ* et *passionis* JESU ?

An frequenter de JESU *cogito ?*

An assidue *pervolvo Evangelium ?* « Est Evangelium liber Christi, philosophia Christi, theologia Christi, est lætissimum Christi nuncium de redemptione, de gratia, de æterna salute generis humani e cœlo per Ipsum allata ipsisque credentibus collata. » (Cornelius a Lapide in Evang. initio.) « Nos itaque, ait S. Augustinus (Tract. 30 in Joan.), sic audiamus Evangelium quasi praesentem Dominum. »

2° Qualis *corde ?* An sincere Ei adhæreo totis animis ? Amor *pondus* est, ait S. Augustinus, inclinans cor ad amatum. An sentio in me hoc suavissimum pondus ?

3° Qualis *ore ?* An sat sæpe mihi sermo est de JESU ? An flagro ardenti desiderio JESUM notum faciendi rudibus et parvulis ?

4° Qualis *actu ?* Quid hucusque *feci* pro JESU ? An omnem movi lapidem, ut a meis parochianis JESUS *visitetur* in Taber-

naculo *frequenter;* ut ab eis accipiatur piissime per *communionem;* ut eos spectatores habeat suæ immolationis in ara, etiam per hebdomadam; ut omnia in ecclesia fiant decenter?

II. Qualis mihi erit JESUS in hora mortis?

Si Eum neglexerim in vita; si aliquem plus quam Eum dilexerim; si ejus nomen non prædicaverim, *Judex* mihi erit tunc et divinæ Justitiæ *vindex.*

Si e contrario totus fuerim in eo ut JESUM amarem, prædicarem, omni modo glorificarem, procul dubio mihi morienti erit *Deus* misericordissimus, *Rex* amantissimus, dulcissimus *Salvator*, *Medicus* benignissimus, *Amicus* super omnes amabilis.

Si hac hora mihi moriendum esset, qualem haberem JESUM? Loquere, JESU; indica mihi quid adhuc mihi desit. *Totus* tuus esse *volo* in æternum. Amen.

INDEX.

PAGINA.

PRÆFATIO. 1
RECOLLECTIO I. 1
Meditatio. De exitu vitæ. 1
Consideratio. De caritate sacerdotali. . 6
Examen. Circa benevolentiam sacerdotalem. 10
RECOLLECTIO II. 13
Meditatio. De ejectis e templo. . . . 13
Consideratio. De unione Sacerdotis cum JESU. 19
Examen. Circa gratitudinem Sacerdotis. 25
RECOLLECTIO III. 27
Contemplatio. De Incarnatione D. N. J. C. (1°). 27
Consideratio. De spiritu humilitatis. . 31
Examen. Circa spiritum mundi. . . . 35
RECOLLECTIO IV. 38
Contemplatio. De Incarnatione D. N. J. C. (2°). 38
Consideratio. De exercitio humilitatis. . 47
Examen. Circa exercitium humilitatis. . 52
RECOLLECTIO V. 55
Contemplatio. De Incarnatione D. N. J. C. (3°). 55
Consideratio. De timore Domini. . . 61
Examen. Circa timorem Domini. . . . 70
RECOLLECTIO VI. 73
Contemplatio. De Visitatione B.M.V. . 73
Consideratio. De messe spirituali. . . 81
Examen. Circa decorum sacerdotale. . 85
RECOLLECTIO VII. 87
Contemplatio. De Purificatione beatæ Mariæ Virginis. 87
Consideratio. De aula Herodiana. . . 96
Examen. Circa actionem gratiarum post missam. 99

RECOLLECTIO VIII. 101
Contemplatio. De Fuga D. N. in Ægyptum 101
Consideratio. De mala sacerdotis morte. 106
Examen. Circa obedientiam sacerdotalem. 112
RECOLLECTIO IX. 115
Meditatio. De jejunio. 115
Consideratio. De praxi jejunii sacerdotalis. 121
Examen. Circa mortificationem sacerdotalem. 124
RECOLLECTIO X. 127
Contemplatio. De ascensu JESU in templum anno duodecimo. 127
Consideratio. De cruce sacerdotali (1°). 135
Examen. Circa pusillanimitatem. . 139
RECOLLECTIO XI. 142
Contemplatio. De vita Christi usque ad annum 30^mum. 142
Consideratio. De cruce sacerdotali (2°). 149
Examen. Circa patientiam sacerdotalem. 152
RECOLLECTIO XII. 155
Contemplatio. De Baptismo JESU. . . 155
Consideratio. De cruce sacerdotali (3°). 163
Examen. Circa silentium sacerdotale. . 166
RECOLLECTIO XIII. 169
Contemplatio. De nuptiis in Cana Galilææ. 169
Consideratio. De mala negotiatione spirituali. 176
Examen. Circa sinceritatem sacerdotalem. 180
RECOLLECTIO XIV. 183
Contemplatio. De Christi ambulatione super aquas. 183
Consideratio. De vita sacerdotis mari comparata. 189
Examen. Circa ambitionem. 194

RECOLLECTIO XV. 197
Contemplatio. De Chananæa. 197
Consideratio. De periculis et de subsidiis sacerdotis 204
Examen. Circa modum utendi signo crucis. 209
RECOLLECTIO XVI. 212
Contemplatio. De piscatione Petri. . . 212
Consideratio. De conformitate cum voluntate Dei. 220
Examen. Circa conformitatem cum voluntate Dei. 225
RECOLLECTIO XVII. 228
Contemplatio. De persona D. N. J. C. 228
Consideratio. De bona negotiatione spirituali. 234
Examen. Circa acediam. 238
RECOLLECTIO XVIII. 241
Contemplatio. De leproso mundato. . 241
Consideratio. De necessitate nos ad mortem præparandi. 249
Examen. Circa fugam peccatorum. . . 253
RECOLLECTIO XIX. 256
Contemplatio. De prædicatione JESU in Templo. 256
Consideratio. De modo superandi impedimenta zeli apostolici ad exemplum S. Pauli. 261
Examen. Circa tristitiam. 268
RECOLLECTIO XX. 271
Contemplatio. De Transfiguratione D. N. J. C. 271
Consideratio. De modo dirigendi vocationem. 270
Examen. Circa consolationem spiritualem. 289
RECOLLECTIO XXI. 292
Contemplatio. De ultima Cœna, seu de Testamento JESU. 292

Consideratio. De devotione sacerdotis erga Cor JESU. 298
Examen. Circa opera misericordiæ. . . 304
RECOLLECTIO XXII. 307
Contemplatio. De mysteriis factis inde a cruce usque ad sepulcrum JESU. . . 307
Consideratio. De exercitiis spiritualibus quotidianis 312
Examen. Circa modum dignos faciendi pœnitentiæ fructus. 318
RECOLLECTIO XXIII. 321
Contemplatio. De vita JESU gloriosa. . 321
Consideratio. De necessitate progrediendi in via Domini. 331
Examen. Circa colloquia sacerdotum inter se. 335
RECOLLECTIO XXIV. 338
Contemplatio. De adventu Spiritus sancti. 338
Consideratio. De præparatione ad percipienda dona Spiritus sancti. 348
Examen. Circa fortitudinem sacerdotalem. 350
RECOLLECTIO XXV. 353
Contemplatio. De vita B. M. V. post Ascensionem JESU. 353
Consideratio. De statu nostræ negotiationis spiritualis. 361
Examen. Circa cognitionem practicam JESU. 366

Brugis. — Typis Societatis Sancti Augustini.

ÉGLISE OU BIBLE ? Qui Jésus-Christ a-t-il chargé d'enseigner la véritable religion ? par le R. P. DAMEN, de la Compagnie de Jésus. Conférences traduites de l'Anglais par le Chanoine MONJARDIN. In-12 de 70 pp. fr. 0.50

LA FRANC-MAÇONNERIE ANGLAISE. L'anticléricalisme et l'antipatriotisme la rendent maîtresse du Portugal, de la France, de l'Espagne et de l'Italie, par M. C. L. DE CASAMAJOR. In-12 carré de 80 pages illustré. fr. 1,25

MANUEL DE RELIGION, traduit et amplifié de l'allemand, avec lettre d'approbation de Mgr l'évêque de Metz, par M. le chanoine LOUIS, docteur en théologie avec la collaboration de M. l'abbé PAUL, aumônier, à l'usage des classes supérieures des maisons d'éducation, des catéchismes de persévérance, etc. In-12 de 480 pp. fr. 3,75

LA SAINTE MAISON DE LORETTE, d'après une fresque de GUBBIO, explication et commentaire par Mgr FALOCI PULIGNANI, vicaire général de l'archidiocèse de Spoleto. Traduit de l'Italien par P. M. BARRET, ancien professeur de théologie dogmatique à l'Université papale d'Anagni. Petit in-4° de 116 pages, illustré de 44 gravures dont 1 hors texte. fr. 2,00

CONFÉRENCES UNIVERSITAIRES : L'ÉDUCATION DU CARACTÈRE, par le R. P. GILLET Dominicain. *Préface* de Mgr HEBBELYNCK, recteur de l'Université de Louvain. In 12 de XII-304 pp. fr. 3,00

MANUEL DE PRIÈRES EXTRAITES DE LA SAINTE ÉCRITURE à l'usage des fidèles, par M. l'Abbé E. ROSQUIN, curé de Betheniville (Marne). In-32 de 320 pages, broché fr. 2,50
Toile tr. rouge fr. 3,00
Reliure chagrin, tranche rouge sous or : fr. 4,00

LE CHRIST A L'AUTEL OU LE CHRIST PRÊ
TRE ET VICTIME, contemplé pendant l'assistan
au divin sacrifice. Douze méthodes pour assister à
Sainte Messe, par le chanoine L.-J. LALIEU, curé
doyen de Charleroi, docteur en théologie et licencié e
Droit Canon. Nouvelle édition.

I. *Petit Manuel*, pour les messes de Jeunesse. In-32 c
64 pages.

Couverture toile, l'Ex. fr. 0.15; le cent 10,00 fr. Joli
cart. fantaisie, couleur, l'Ex. fr. 0.20 ; le cent fr. 15,0
Joli cart. dos toile, l'Ex. fr. 0,25 ; le cent fr. 20,00.

II. *L'ouvrage complet.* In-18 de IV-148 pages.

Cartonnage simple, l'Ex. fr. 0,50. Joli cartonnag
l'Ex. 0,75. Jolie reliure en percaline, l'Ex. fr. 1,00.

III. *La partie musicale*, avec accompagnement des ca
tiques du Christus. In-12 de 52 pages.

Couverture toile l'Ex. fr. 0,70. Joli cartonnage, l'E
fr. 1,00. Jolie reliure en percaline, l'Ex. fr. 1.50.

N. B. Le Paroissien 1ª (192 pp.) peut être relié, s
demande, avec le nº I et le nº II, avec une majoratio
de fr. 0,20 par ex.

L'EUCHARISTIE, PAIN CÉLESTE DE L'AME
Le Très-saint-Sacrement, médité et expliqué, p
J. MULLENDORFF S. J. Traduit de l'allemand sur
3ᵉ édition. In-8° de LXVI-410 pages. fr. 4,

LE PAIN CÉLESTE DE L'AME. Pie X et la co
munion fréquente. — La sainte communion, d'apr
BOSSUET. In-8° de XXIV-104 pages. fr. 1,

LE BANQUET DE L'AMOUR DIVIN, par Jose
FRASSINETTI. Traduit de l'italien par le P. Eugè
COUET, de la Congrégation du Très-Saint-Sacreme
Deuxième édition. In-18, de XVI-256 pages. fr. 1,

LE DÉCRET DE LA COMMUNION QUOT
DIENNE, par J. MAHIEU, S. T. L. In-32 de 96 pag
L'ex. fr. 0,20 ; 25 ex. fr. 4,50 ; 50 ex. fr. 8.50 ; 100 e
fr. 15,00 ; 250 ex. fr. 30.00.

246.731
P445
PETIT, S. J.,
AUTHOR
Sacerdos Rite Ins
TITLE
Series Tertia - Editio
DATE DUE
BORROWER'S N.
STORAGE - CBPL
45211